



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

Liber XL.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

XIX.

ignem  
fertur.  
n San-  
ni Sar-  
cura.  
S. Ma-  
Abbas

Aqui-  
æculis  
etiam  
ata, &  
chrum  
ei Viri  
garium  
cclesia  
er San-  
an-



HISTORIA  
ECCLESIASTICA.  
LIBER XL.



DONUS PAPA.

CONSTANTINUS POGONAT. IMPERATOR.  
PERTHARITUS, REX LONGO-  
BARDORUM.

§. I.

*Imperator pacem Ecclesiae parat.*

Constantinus Pogonatus Imperator Sæculum VII  
 pacem ad annos triginta cum Moa- A.C. 678.  
 via Califa non æquis modo sed e- Theoph an.  
 tiam utilibus conditionibus anno 677., 9. p. 296.  
 Regni sui nono, sancivit, & Moavia post Elmac. lib. I.  
 an- 6.7.

A a 3

an-

ISTO.

Sæculum VII annos tres, Hegiræ sexagesimo, Jesu Christi A. C. 678. fti 680. naturæ concessit, annos natus quadraginta, postquam viginti regnasset. Is anno superiore a Christianis rogatus Ecclesiæ Edeffenæ arcuatam fastigium terræ motu collapsum restaurari jusserat. Ceterum Moavia Saracenis imperante, Agatho Patriarcha Jacobitarum Alexandria, anno 678. Hegiræ 58. fatis functus, Successorem habuit Joannem, qui annis octo illam Sedem obtinuit. Ecclesiam S. Marci reparavit, & tempore famis, qua Cives Alexandrini tribus annis premebantur, plurimos pauperes aluit. Moaviæ vero successit filius *Jesid*, cui jam ante decennium Patre jubente Musulmanni fidem juraverant. Pace cum Saracenis firmata, adfunt Legati Avarum, aliorumque populorum ex Occidente, a Constantino pacem rogantes, qua concessa, reliquum Regni sui tempus in pace transegit.

Tum de incurso hostium securus Constantinus nihil antiquius habuit, quam ut Ecclesiæ pacem ab Heraclii proavi sui temporibus turbatam reduceret.

*Theoph. p.*  
299.

*Sacra Const.*  
*to. 6. Cont.*  
p. 594.

Constantino Patriarcha Constanti-  
nopolitano anno 678. vita functo, post-  
quam hanc Sedem tenuisset anno uno &  
octo mensibus, successit Theodorus Pres-  
byter Syncellus & ærario Ecclesiæ Con-  
stanti-

stantinopolitanæ præfectus, qui equidem <sup>Sæculum VII</sup> statim ac ordinatus fuit, ad Papam scri- A. C. 678.  
psit; sed veritus, ne, si pro more antiquo  
Epistolam Synodicam daret, ea tam pa-  
rum, quam Epistolæ Antecessorum suo-  
rum, reciperetur, misit litteras, Dono  
Papæ deinde redditas, quibus ad con-  
cordiam Romanos exhortabatur. Quæ-  
renti deinde Imperatori, quanam Divi-  
sionis causa esset, Theodorus & Maca-  
rius Patriarcha Antiochenus Constanti-  
nopoli residens responderunt; novas de  
Mysteriis loquendi formulas vel aliquo-  
rum ignorantia vel nimia sciendi cupidi-  
tate fuisse invecas, & ex eo tempore,  
quo hæ Quæstiones agitari cœptæ, nun-  
quam utriusque Sedis consensu ad inda-  
gandam veritatem Concilium celebra-  
tum. Itaque Imperator Concilium con-  
vocare statuit.

Data in hunc finem ad Donum Pa-  
pam Epistola dicit; temporum illorum  
adjuncta non permittere, ut Concilium  
perfectum congregetur. Quod ideo  
verisimiliter dicit, quia Episcopi Syriae  
Superioris, Palæstinæ, Ægypti, & Afri-  
cæ sub Musulmannorum potestate con-  
stituti venire non poterant. Deinde ro-  
gat Pontificem, ut mittat viros sapien-  
tes & doctos, qui libros necessarios ad  
discutiendas & decidendas quæstiones  
cum duobus Patriarchis Theodoro Con-

p. 595.

Epistola Im-  
peratoris ad  
Papam.

Sæculum VII A. C. 678. Constantinopolitano & Macario Antiocheno  
 afferant, sancte promittens, eos incolu-  
 mes fore etiam in reditu, licet concor-  
 dia stabiliri non potuisset. Hoc facto,  
 subjungit, *innocentes erimus coram Dei*  
*Judicio; nostrarum enim partium est,*  
*omnes Christianos ad concordiam exhor-*  
*tari, sed neminem cogere volumus. Mit-*  
*te ad nos ex Sancta Ecclesia tua Viros*  
*tres vel plures, si volueris, & ex Conci-*  
*cilio tuo Episcopos duodecim & non*  
*plures annumeratis etiam Metropolitanis.*  
 Hic videmus distinctionem inter Lega-  
 tos Papæ, & Episcopos Italiæ, seu totius  
 Occidentis, hos quippe omnes sub no-  
 mine Concilii Papalis Orientales com-  
 plectebantur.

p. 598. Tum Imperator prosequitur in hunc  
 modum: *Patriarcha noster, & Antio-*  
*chenus instantissime a me petierunt, ut*  
*Nomen Vitaliani ex Diptychis tollerem,*  
*dicentes, in iis memorari Honorium pro-*  
*pter honorem Sedis Apostolicæ Romanæ;*  
*at ferre se non posse, etiam ejus Suc-*  
*cessores memorari, donec discussæ fuerint*  
*quæstiones de vocibus, de quibus inter*  
*utramque Sedem disceptatur. Scilicet*  
 duo Patriarchæ Constantinopolitanus &  
 Antiochenus Monothelitæ erant, & nul-  
 lum Pontificem, post Honorium, Ortho-  
 doxum habebant. Ego vero, subjun-  
 git Imperator, *non consensi, ut Vitalia-*  
 nus

*nus ex Diptychis deleberetur, tum ut ser-* Sæculum VII  
*varetur æqualitas, & ostenderem, quod* A. C. 679.  
*bos & illos Orthodoxos esse credam, tum*  
*ut grati animi signa edam in Vitalianum,*  
*cujus in nos amicitia, quoad vixit, in-*  
*ter motus Tyrannorum nostrorum du-*  
*ravit.*

Hic de seditione Mezeti sermo est. *Sup. Lib.*  
 Prosequitur Imperator: *Theodoro Patri-XXXIX.*  
*cio Italiae Exarcho mandata misimus,* §. 42.  
*ut illis, quos delegaveris, omne subsidii*  
*genus sive ad navigandum sive ad sum-*  
*ptus itineris præstet, atque etiam, si ne-*  
*cessitas postulet, Bellicas, quæ vobis præ-*  
*sidio sint, concedat.* Hæc Epistola duo-  
 decimo Aug. Indictione sexta, nempe an-  
 no 678. data.

§. II.

*Doni Obitus. Agatho Papa.*

Antequam memorata Epistola Romam  
 pervenisset, Donus Papa ex hac vita  
 migravit, sepultusque est ad S. Petrum,  
 undecimo Aprilis anno 679. postquam S.  
 Sedem tenuisset anno uno, quinque men-  
 sibus & diebus decem. Una Ordinatio-  
 ne Presbyteros decem, Diaconos quin-  
 que & alio tempore Episcopos sex crea-  
 vit. Ipso defuncto elapsis duobus men-  
 sibus & quindecim diebus ordinatus est  
 Agatho, Monachus, patria Siculus, qui  
 S. Sedem duos annos & dimidium te-  
 nuit,

*Anast.*

A a 5

nuit,

Sæculum VII nunt, Vir mansuetudine singulari atque  
 A. C. 679. omnibus hilaris & jucundus. Is Episto-  
 la Imperatoris Constantini ad Anteces-  
 sorem suum directa ab Epiphanio Nota-  
 rio accepta, statim ad reducendam pa-  
 cem manum admovit.

## §. III.

*Ecclesia Anglicana.*

*vita per Ed-*  
*di. c. 23.*  
*Sup. Lib.*  
*XXXIX.*  
*S. 46.*  
*Bed. IV. hist.*  
*c. 19. vit.*  
*S. Edilth.*  
*to. 2. Act. B.*

Inter hæc S. Wilfridus Archiepiscopus  
 Eboracensis Romam pervenit, quere-  
 lam movens, quod injuste fuisset deposti-  
 tus. Is Ecclesiam suam annis quatuor,  
 ex quo fuerat restitutus, in pace rexerat,  
 nempe quamdiu Regina Edeltrida cum  
 Rege Egfrido fuit. Hæc Princeps Regia,  
 licet bis nupta, semper suam Virginita-  
 tem illibatam servavit; primo enim  
 Tumberti Principis brevi tempore, &  
 deinde Egfridi Regis annis duodecim uxor  
 fuit. Cum Rex sciret neminem apud E-  
 deltridam plus auctoritate valere, quam S.  
 Wilfridum, eidem fundos & multas pro-  
 misit pecunias, si Reginam eo adduceret,  
 ut matrimonium consummari patere-  
 tur. Postquam vero id impetrare non  
 potuit, Rex tandem consensit, ut, quod  
 tam diu flagitaverat, ad Monasterium  
 convolaret. Velamine Monastico ema-  
 nibus S. Wilfridi accepto, postea ab eo-  
 dem Monasterii Elgenfis seu Elyensis,  
 quod ipsa fundaverat, Abbatissa consti-  
 tuta

tita est. Non vero mulierum tantum, <sup>Sæculum VII</sup>  
 sed etiam virorum Congregatio ibi fuit. A. C. 679.

Anno ab hac Fundatione septimo obiit  
 Edeltrida Regina anno 679. atque post  
 lapsum annorum sexdecim corpus ejus  
 integrum repertum argumento fuit,  
 Deum hujus Virginis singularem purita-  
 tem ita remunerari voluisse.

Postquam Edeltrida ad Monasterium  
 discessit, Rex Egfridus duxit Ermenbur-  
 gam, quæ, odio in S. Wilfridum con-  
 cepto, S. Viri potentiam sæcularem, di-  
 vitias, Monasteriorum multitudinem,  
 amplitudinem ædificiorum, ingentem nu-  
 merum clientum, vestibis armisque  
 splendentibus procedentem comitan-  
 tium, muliebri loquacitate apud Regem  
 in pejus extollebat. Rex uxori obse- *Bed. IV. hist.*  
 cundans a S. Theodoro Cantuariensi pe- *c. 12.*  
 titit, ut S. Wilfrido deposito tres alios  
 Episcopos, scilicet Bosam Regioni Deiro-  
 rum Hagulstadii, Eatam Berniciensibus *S. Wilfridus*  
 Eboraci, & Eadhedum Lindisfarniæ ordi- *Depositus.*  
 naret. Hi in illas Sedes deducti sunt  
 S. Wilfrido absente, cui, cum Regem &  
 Archiepiscopum adiisset, quæsiissetque,  
 cur sibi innoxio Bona a Regum Pietate  
 accepta eriperent, responderunt coram  
 omni populo: *Nullius criminis te accu-*  
*samus, sed tamen Sententiam nostram non*  
*mutamus.* Hæc anno 678. Regni Egfri- *Be. epist.*  
 di octavo gesta. Nempe S. Theodorus *Be. IV. hist.*  
 liberam *c. 17.*

Sæculum VII liberam potestatem in omnes Angliæ Ec-  
 A. C. 679. clesias exercebat, quippe Winfrido Mer-  
 ciorum Episcopo, quod sibi præcepta  
 non fecisset, deposito, Sexwulfum cu-  
 jusdam Monasterii Fundatorem & Abba-  
 tem in ejus Sedem ordinavit; Winfri-  
 dus vero ad suum Monasterium rever-  
 sus ibidem vitam sancto fine clausit. Er-  
 conwaldum quoque vitæ sanctitate con-  
 spicuum, qui trigesimo Aprilis colitur,  
 Episcopum Londinensem seu Effexien-  
 sem ordinavit. Sebbio Regi ejusdem  
 Regionis, nempe Saxonix Orientalis, in-  
 signi pietate, Institutum Monasticum jam  
 longo tempore amplecti cupienti, obsta-  
 bat Regina Conjux; cum tandem in  
 morbum lethalem incidisset, accersito E-  
 piscopo Londinensi, ab eo Benedictionem,  
 & Habitum Monasticum tamdiu  
 exoptatum accepit.

Istud omnium primo occurrit mihi  
 exemplum hujusmodi Religionis poste-  
 rioribus Sæculis frequentissima, Mona-  
 chorum habitu indutum mori velle.

Sub idem tempus anno 679. accidit, ut  
 juvenis, nomine Imma, post conflictum  
 in campo tanquam mortuus relinque-  
 retur. Hostes inventum, obligatis i-  
 psius vulneribus, captivis adnumerarunt,  
 noctuque vinculis adstringebant, ne effu-  
 geret. Ei frater erat, nomine Tunna  
 Presbyter & cujusdam Monasterii Ab-  
 bas,

*Mart. Rom.*  
*30. Apr.*  
*Be. IV. hist.*  
*c. 11.*

*Bed. IV. hist.*  
*c. 22.*

*Bed. IV. hist.*  
*c. 22.*

bas, qui credens, in acie occisum, corpus quaesivit, cumque invenisset cadaver alterius, ipsi admodum similis, illud ad Monasterium suum delatum, honorifice sepelivit, & pro liberatione animæ ejus sæpe Missam celebravit. Mirum! fraternæ orationis effectum sensit vivens frater, quippe hora tertia, scilicet, qua Missa celebrari solebat, sæpe captivi vincula nemine manum admovente solvebantur. Comiti illi, qui captivum tenebat, interroganti, an fascinatione id, efficeret, respondit: *Non sum prestigiator, sed habeo fratrem Presbyterum, qui, me mortuum esse, credens sæpe Missam pro me offert, & si in altera vita jam essem, anima precibus ejus a pœnis liberaretur.* Sanitati restitutum juvenem ille Comes alteri venundedit, qui tam parum ac prior Dominus eum in vinculis retinere potuit, nam etsi varii generis compedes adhiberentur, sæpe certis horis ab iis liberabatur. Tandem a Domino suo fide data dimissus, pretio libertatem redemit. Ad fratrem deinde reversus intellexit, horas illas, quibus varie juvabatur, & vincula solvebantur, fuisse easdem, quibus pro se Missa offerebatur. Hujus juvenis exemplo excitati plures Christiani pro mortuis, quos adjutos volebant, orare, eleemosynas dare, & S. Sacrificium offerre cœperunt. Beda istud factum

Sæculum VII  
A. C. 679.

Sæculum VII factum referens dicit, se illud ab illis,  
A. C. 679. qui ipsum juvenem id narrantem audi-  
 verant, accepisse.

## §. VI.

*S. Wilfridus in Frisia.*

*Eddi. c. 23.*  
 24.

Sanctus Wilfridus, Sede sua injuste  
 pulsus, ex consilio Fratrum suorum  
 Episcoporum Romam ire & injuriæ repa-  
 rationem petere statuit. Itaque multis  
 millibus Monachorum, quibus præfue-  
 rat, Episcoporum curæ commissis, cum  
 suis Clericis & comitatu navem con-  
 scendit. S. Viri hostes, rati, ipsum per  
 Franciam Occidentalem, nempe electa  
 via brevior, iter facturum, præmissis  
 ad Regem Theodoricum & Ebroinum  
 donis rogarunt, ut in remotissimas ter-  
 ras proscriberetur, vel, sociis ejus inter-  
 feclis, rebus omnibus privaretur. Ecce  
 vero errorem! Franci, quibus Wilfridus  
 ignotus erat, Winfridum Episcopum  
 Lichfeldiensem, & ipsum Sede sua pul-  
 sum, capiunt, pecunias omnes diripiunt,  
 multosque S. Viri socios mactant.

6. 25.

Interim S. Wilfridum directo ad O-  
 rientem itinere ad Frisones, falsorum  
 Deorum Cultores delatum, illius Gen-  
 tis Rex Algisus honorifice excepit, &  
 subditis suis Evangelium prædicantem  
 non prohibuit. Cum deinde, Sancto E-  
 piscopo in erudiendis his populis desu-  
 dante

dante, eodem anno majorem piscium copiam cepissent, & omnis generis fructus fuissent uberiores, insolitam abundantiam Deo, quem Wilfridus prædicabat, in acceptis retulerunt. Itaque S. Wilfridus cunctis fere Optimatibus, & multis ex populo millibus sacro fonte ablutis primi illius Gentis Apostoli Nomen meruit. Inter hæc advenientes Legati ab Ebroino missi scriptas ad Algisum Frisonum Regem litteras reddunt, in quibus modium solidis aureis plenum huic Principi se daturum pollicitabatur, si vel Wilfridum Episcopum vivum, vel interfecti caput sibi mitteret. Rex prandens has litteras præfente S. Wilfrido & Sociis ejus, Ebroini legatis & magna populi frequentia recitari jubet; mox correptam & laceratam in focum projicit, dicens conversus ad Legatos: Domino vestro renunciate meo nomine: Ita Creator Regnum & vitam destruat hominis, pejerantis, & initum foedus violantis!

His Legati erubescens recesserunt.

S. Wilfridus hyeme in Frisia transacta, anno 679. vere ineunte profectus, ut Romam tenderet, divertit ad Dagobertum Regem Francorum in Austrasia, qui hospitem peramice excepit, accepti beneficii memor. Nam cum Dagobertus

Sæculum VII  
A. C. 679.

c. 26.

c. 27.

Sup. Lib.  
XXXIX.

tus §. 26.

Sæculum VII tus Sigeberto III. Parente ejus defuncto  
A. C. 679. in Hiberniam a Grimoaldo Palatii Magi-  
 stro missus fuisset, & post annos viginti  
 omnium votis esset revocandus, Austra-  
 siæ Proceres ad S. Wilfridum litteras  
 dederunt, quibus acceptis, ille Princi-  
 pem omnibus ad iter necessariis instru-  
 ctum addito militum præsidio in Regnum  
 suum remisit. Igitur Rex Dagobertus  
 S. Wilfrido Episcopatum Argentoraten-  
 sem, in Regno suo amplissimum, confer-  
 re cogitabat; sed hanc Dignitatem ac-  
 cipere recusantem, dato itineris socio A-  
 deodato Episcopo Tullensi, donis cumu-  
 latum Romam dimisit.

Hospites humanissime excepit Berch-  
 terus seu Pertharitus Rex Longobardo-  
 rum, vir timens Deum, humilitatis &  
 pacis amans, qui ad S. Wilfridum dixit:  
 Inimici tui, missis ad me ex Anglia Nun-  
 ciis magna mihi dona obtulerunt, si te  
 vinculis darem & Romam ire prohibe-  
 rem, seditiosum te enim & Episcopum  
 fugitivum appellant. Respondi: *Cum  
 juvenis ex patria proscriptus apud Regem  
 Hunnorum Gentilem morarer, juramen-  
 to & in nomine Idoli sui mihi promisit,  
 nunquam commissurum se, ut me mani-  
 bus inimicorum meorum traderet. Ali-  
 quanto post tempore adsunt ab hostibus  
 meis Legati, modium solidorum aureorum  
 dare promittentes, si me ipsis traderet;*  
 at

at renuit ille dicens; in propriam se perniciem ruiturum, si datam Diis fidem & juramentum violaret. Multo minus ego, qui verum Deum agnosco, animæ meæ exitium accersam, etsi totum mundum lucrari possim. Itaque S. Episcopo Præsidarios dedit, qui eum Romam perducerent.

§. V.

Concilium Romanum in Causa  
S. Wilfridi.

Sanctus Wilfridus, confecto feliciter itinere Romam perveniens, cognovit, notam ibi esse adventus sui causam, quod Conwaldus Monachus a Theodoro Archiepiscopo missus litteras attulisset. Igitur Agatho Papa, Synodo plusquam quingenta Episcoporum in Basilica Salvatoris mense Octobri anno 679. convocata, postquam causæ tractandæ summam exposuit, Andreas Ostiensis & Joannes Portuensis sententiam suam de Actis sibi cum aliis Episcopis ad examinandum commissis, tam de iis, quæ pro se S. Wilfridus, quam de illis, quæ contra ipsum Adversarii obtulerant, edixerunt: Omnibus rite pensatis, ajebant, nullius criminis, quod Depositionis pæna dignum esset, canonice convictum invenimus; econtra constat virum esse eximia animi moderatione, cum nullam seditio-

c. 28.  
to. 6. Conc.  
p. 579.

Hist. Eccles. Tom. 1X. B b nem

Sæculum VII *nem ad retinendam Sedem suam moven-*  
 A. C. 679. *dam existimaverit. Satis ei fuit, coram*  
Episcopis protestari, & ad Sacram Sedem,  
*in qua JESUS Christus Sacerdotii Primum*  
*constituit, (\*) appellare.*

Tum

(\*) Das ist der Grundstein seiner wahren Kirche, welchen Christus der Herr, als er zu seinen himmlischen Vater hinaufgestiegen, hinterlassen, und an welchen sich noch täglich alle diejenigen stossen, die zu dieser Kirche nicht gehören. Herr Johann Lorenz Mosheim fängt die Vorrede zu seinem Buche: Versuch einer unpartheyischen Kezergeschichte mit folgenden Worten an: Die Geschichte der Kezzer, das heißt, dererjenigen, die sich durch ihre besondere Lehren und Meynungen von dem größten Haufen der Christen getrennet zc. Diese Worte sollen nur den Begriff einer Kezergemeine in sich enthalten. Ich berufe mich aber auf das Urtheil eines unpartheyischen Lesers, ob nicht dieser Begriff alle Gemeine, auch die sogenannte Evangelische oder die Reformirte, und so weiter, nicht ausgenommen, die sich zu der Römisch Katholischen Kirche nicht bekennen, ganz eigentlich bestimme. Denn eine jede einzel genommen, ist ja nur ein kleines Häuflein, wenn sie der Katholischen entgegen gesetzt wird. Alle Gemeine aber, so in Orient, Occident und Norden wider die Römische Kirche protestiren, können unmöglich wegen der Unabhängigkeit der einen gegen der andern, und der Verschiedenheit ihrer Lehren, als eine einzige angesehen werden. Weil nun ein Protestant keinen richtigen

Tum iussit Papa S. Wilfridum foris Sæculum VII  
A. C. 679.  
expectantem introduci. Legitur ipsius  
Libellus, in quo sibi titulum Episcopi Sa-  
xonix tribuebat, dicebatque, se aliunde  
Pontificem tam viva voce, quam scripto  
causæ suæ rationem edocuisse. Quere-  
batur se injuste depositum & tres Epis-  
copos in Ecclesia sua fuisse ordinatos.  
*Theodorum*, inquit, *accusare nolo, ut-*  
*pote a Sacra Sede missum; si vero cense-*  
*tis, me amplius Episcopum non esse, humi-*  
*li mente me submitto, & id solum rogo,*  
*ut vestra Auctoritate invasores Diœcesis*  
*meæ expellantur. Si enim Archiepisco-*  
*po & Episcopis Fratribus meis visum*  
*fuerit, Episcoporum numerum esse augen-*  
*dum, eosdem in Concilio legitimo ex Cle-*  
*ricis ejusdem Ecclesiæ eligant, ego enim*  
*Sacræ Sedis Decretis ero obedientissimus.*  
Ex his dispicimus, præcipuum ad depo-  
nendum S. Wilfridum prætextum fuis-  
se, quod in illa Regione major Episcopo-  
rum numerus opus fuerit.

Libello S. Wilfridi perlecto, Papa e- Eddi. c. 29.  
jusdem moderationem, & animi submis-  
sionem

B b 2

sionem

richtigen Begriff von der wahren Kirche hat, so  
ist er auch unfähig, dasjenige, was der wahren  
Kirche entgegen gesetzt ist, nämlich die Ketzerge-  
meinen, richtig zu bestimmen; sondern er wird  
allzeit, wie der Herr Mosheim, seine eigene Kir-  
che damit vermengen.

Sæculum VII  
A. C. 680. fionem laudavit; Concilium autem pronunciavit; Wilfridum in Sedem suam esse restituendum, & contra Canones intrusos expellendos; Episcopos autem, quos cum Concilio in ipsa Regione congregando ad se adjuvandum electurus esset, ab Archiepiscopo esse ordinandos. Hæc omnia sub pœna Depositionis & Anathematis in Episcopos, Presbyteros & Diaconos transgressores, & sub pœna Excommunicationis in alios, etiam in Reges, præcipiuntur.

Post hæc S. Wilfridus quatuor adhuc mensibus Romæ versatus est.

## §. VI.

*Concilium celebratum ad delegandos Constantinopolim Episcopos.*

*Eddi. c. 50.* Sanctus Wilfridus interfuit Concilio ab Agathone Papa celebrato tertio die Paschali, id est, die Martis vigesimo septimo Martii anno 680., in quo selecti Legati, qui, sicut Imperator cupiebat, Constantinopolim proficiscerentur. Ad hoc Concilium centum viginti quinque Episcopi ex omnibus Italiæ partibus convenerunt. Primo ex Provinciis immediate S. Sedi subjectis, ex Campania, ex Brutiis, Calabria, aliisque Romæ & Siciliae propinquis. Deinde ex Provincia Mediolanensi, cujus Archiepiscopus Mansuetus

*fp. 6. Conc.*  
*p. 692.*

fuetus cum Joanne Pergamensi, Anasta-  
 sio Ticinensi, & pluribus aliis in Conci-  
 lio aderat. Mansuetus inter Sanctos die  
 decimo nono Febr. colitur, & Joannes  
 undecimo Julii, quem Rex Cunibertus  
 maxima veneratione prosequatur. A-  
 nastasius vero, olim Episcopus Arianus,  
 postea sincere conversus, inter Sanctos  
 30. Maji colitur.

Sæculum VII  
 A. C. 680.  
 Mart. Rom.  
 19. Febr.  
 11. Jul.  
 Paul. VI.  
 hist. c. 44.  
 Mart. Rom.  
 30. M.

Mansuetus quoque Archiepiscopus  
 Synodum suam Provinciam, incertum,  
 an ante vel post Concilium Romanum,  
 celebravit, & Damianus, tunc Presby-  
 ter, & exinde Episcopus Ticinensis, E-  
 pistolam Synodalem ad Imperatorem  
 conscripsit. In ea affert exempla om-  
 nium Imperatorum, qui ad condemnan-  
 das Hæreses Concilia convocarunt. Di-  
 cit, Episcopos, quorum nomine scribe-  
 ret, esse Subditos Longobardorum  
 Regibus Christianissimis Pertharito &  
 Cuniberto ejus filio, quem se vivo Regem  
 salutari jusserat.

Paul. IV.  
 hist. c. 4.

In fine Epistolæ Concilium Mediola-  
 nense Fidem suam exponit, & disertis  
 verbis in Jesu Christo duas Voluntates  
 & duas Operationes confitetur. Damia-  
 nus hujus Epistolæ Auctor inter Sanctos  
 duodecimo Aprilis colitur.

Mart. 12.  
 April.  
 Boll. tom. 10.  
 p. 91.

In Concilio Romano nomina alio-  
 rum quoque Episcoporum, qui sub Do-  
 minatione Longobardorum degebant,

to. 6. Conc.  
 p. 704.

Seculum VII legere est; nempe ex Provincia Istria,  
 A. C. 680. cujus Metropolita fuit Agatho Episco-  
 p. 708. pus Aquilejensis, ex Pentapoli atque He-  
 truria, tum Theodorum Archiepiscopum  
 Ravennatem cum ceteris Episco-  
 pis in Exarchatu adhuc dum Romanis  
*Anast. in* subjecto. Cum a longo jam tempore  
*Cont. & A-* Archiepiscopi Ravennates debitam Papæ  
*ga. 2. inf.* obedientiam præstare detrectassent,  
*n. 32.* Theodorus pervicaciam emendavit, se-  
 que S. Agathonis subiecit. Post nomina  
 Episcoporum Papæ immediate subdito-  
 rum in Subscriptionibus Concilii Roma-  
 ni occurrunt Adeodatus Tullensis, Wil-  
 fridus Eboracensis, Felix Arelatensis, &  
 Taurinus Teloniensis.

*to. 6. Cont.*  
*p. 697.*

*to. 6. Cont.*  
*p. 1887.*

Adeodatus, Felix, & Taurinus se om-  
 nes tres Legatos Concilii Galliarum  
 dicunt, unde credibile est, aliquod Con-  
 cilium fuisse celebratum, unde missi fue-  
 rint. At S. Wilfridus quoque Legati  
 nomen sibi tribuit, de quo tamen con-  
 stat, ab Episcopis non fuisse missum.  
 Nempe in Actis Ecclesiasticis nomine  
 Concilii venire solebant ejusdem Pro-  
 vincia Episcopi, etiam Synodaliter non  
 congregati; & S. Wilfridus, quamvis  
 mandata expressa non haberet, de Fide  
 Ecclesiarum Britannicarum confidenter  
 testimonium reddere poterat.

## §. VII.

Sæculum VII  
A.C. 680.*Epistolæ ad Imperatorem datæ.*

Nihil nobis aliud de hoc Concilio nisi duæ Epistolæ una nomine Papæ solius, altera nomine Concilii datæ supersunt, & utraque non solum ad Constantinum, sed etiam ad Fratres ipsius Heraclium & Tiberium, nam ambo etiam Augusti appellabantur, dirigitur. *Epistola Papæ, ut illorum temporum stylus ferebat, enormiter longa est; sed hæc est Summa: Litteras tuas ad Donum Papam Antecessorem nostrum datas non sine magno solatio accepimus, quibus nos ad examinandam veram Fidem exhortaris. Missa omni mora quærere cæpi viros idoneos, nempe tales, quales temporum istorum, & Provinciæ nostræ calamitates invenire permittunt. Clericos meos & Episcopos huic Sedi vicinos ad consilium vocavi, sed longi temporis res fuit expectare adventum Episcoporum ex Provinciis remotis, quo Antecessores mei Prædicatores fidei miserunt, ut morbos continuos, quibuscum conflictor, silentio præteream.*

*Quamobrem, ut debitam tibi obedientiam præstemus, mittimus ad te Venerabiles Fratres nostros Episcopos Abundantium, Joannem, & alterum Joannem, & carissimos filios nostros Theodorum &*

B b 4

Geor-

p. 634.

Sæculum VII *Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, Constantinum Ecclesiæ nostræ Subdiaconum. Item Theodorum Presbyterum Ecclesiæ Ravennatensis cum Monachis Dei Servis. Nec eos ideo mittimus, ut eorum scientiam jactemus; quis enim perfectam Scripturarum scientiam requirat in hominibus, in medio Nationum Barbararum versantibus, & manuum suarum labore vix tantum quotidie lucrantibus, ut corpora alant? at simplici mente Fidem a Patribus nostris acceptam tenemus, & a Deo ut Gratiam singularem efflagitamus, ut sensum & verba eorum, quæ desinierunt, nihil addendo, nihil adinvento servemus. His Delegatis quosdam Patrum Textus dedimus & ipsos libros, quos tibi, si jusseris, exhibeant, tibi que hujus Ecclesiæ Apostolicæ, Matris tuæ Spiritualis, Fidem, non eloquentia Sæculari, qua destituti sunt, sed sinceritate Religionis, quam a cunis hausimus, explicent. Rogamus suppliciter, ut hos viros benigne audias.*

Papa deinde explicat Fidem Ecclesiæ de Trinitate, & Incarnatione, in primis vero de duabus Voluntatibus. Clare docet, tres Personas Divinas, quia unam habent Naturam, unam etiam habere voluntatem, at in Jesu Christo, quia duas habet Naturas, etiam duas esse Voluntates, & Operationes. Affirmat,

firmat, Sacram Sedem nunquam erraf-  
 fe, (\*) & nunquam a via Veritatis re-  
 cessisse, virtute Promissi S. Petro facti,  
 atque Antecessores suos nunquam ali-  
 quid habuisse antiquius, quam Hæreticos

Bb 5 exhor-

Sæculum VII  
 A. C. 680.

p. 637.

(\*) Wunderlich lauten die Worte in der schon  
 gemeldten Vorrede des Herrn Mosheim: Stel-  
 len und Urkunden genug für diejenigen, die  
 sich nicht getrauen zu glauben, daß die Kir-  
 che Unschuldige verdammen, und ein unge-  
 rechtes Urtheil sprechen könne; Wenige o-  
 der gar keine für diejenigen, die den Streit  
 der Kirche mit den Ketzer als noch unent-  
 schieden ansehen, und auch dasjenige wissen  
 wollen, was ihrer Sache dienen kann.

Wenn der Herr Mosheim sich getrauet zu  
 glauben, daß die Kirche Jesu Christi Unschuldi-  
 ge verdammen und ein ungerechtes Urtheil spre-  
 chen könne (das ist etwas für eine Ketzerey erklä-  
 ren, welches keine ist) so ist er, wenigstens in dieser  
 Stelle ein Esprit fort, und getrauet sich mehr zu  
 glauben, als das Versprechen Jesu Christi in dem  
 heiligen Evangelio zu glauben erlaubet. Paracli-  
 tus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pa-  
 ter in Nomine meo, ille vos docebit omnia,  
 Joan. 14.

Uebrigens wenn der Herr Mosheim dasjenige  
 wissen will, was zur Sache der Ketzer dienen kann,  
 so wird er solches hinlänglich im Herrn Fleury  
 antreffen, welcher alles, was die Ketzer zu ihrer  
 eigenen Vertheidigung aus Licht gegeben, aus den  
 ältesten Urkunden redlich ausgeschrieben.

Sæculum VII exhortari, ut ad sinum Matris redirent.

A. C. 680. Tum probat distinctionem duarum Vo-

p. 640.

p. 648.

Epistola S. A-  
gathonis  
Papæ.

p. 649.

p. 652.

p. 653.

656.

657.

664.

p. 665.

p. 668.

luntatum ex Textibus Scripturæ a Pa-

tribus explicatæ. Subjungit Definitio-

nem Concilii Calcedonensis, & Quinti

Concilii, tum multos Textus ex Patri-

bus Græcis addit sermone originali, &

Patrum Latinorum in sermonem Græ-

cum conversos. Sequuntur Testimonia

S. Gregorii Nazianzeni, Sancti Gregorii

Nysseni, S. Joannis Chrysofomi, S. Cy-

rilli Alexandrini, S. Hilarii, S. Athanasi,

Sancti, ut illa ætate credebatur, Dionysii,

S. Ambrosii, & S. Leonis. S. Agatho om-

nes hos textus ad Quæstionem princi-

palem refert, & dicit: *Illi quoque addu-*

*ci possent, qui pro Concilii Calcedonensis*

*Auctoritate strenue decertarunt; scilicet,*

*Joannes Episcopus Scythopolitanus, Eulo-*

*gius Alexandrinus, Ephrem, & Magnus*

*Anastasius Antiochenus.*

Præterea Pontifex verba refert anti-

quorum Hæreticorum, qui unicum Vo-

luntatem & unicum Operationem in Je-

su Christo esse affirmarunt, nempe, Apol-

linaris, Severi Acephalorum Principis,

Nestorii, & Theodosii Alexandrini. Tum

textus Recentiorum Hæreticorum, scilli-

cet, Monothelitarum, Cyri, Theodori

Pharanitæ, Sergii, Pirrhi, Pauli, Petri

Constantinopolitani, atque eorum dicta

sibi ipsis adversantia ostendit. Veritate  
Fidei

Fidei Catholicæ hoc modo stabilita, Imperatorem excitat, ut eam tota sua potentia tueatur, & Ecclesiam ab Hæreticis eam oppugnantibus liberet. Subjungit: *Si Episcopus Constantinopolitanus nobiscum hanc Doctrinam recipiat, sublatum est Schisma, si Novatores sequatur, coram Dei Judicio rationem reddet.* Tandem in fine Epistolæ rogat Imperatorem, ut omnibus Defensionem Fidei Catholicæ suscepturis plenam dicendi libertatem concederet. Hæc est Epistola Agathonis Papæ ad Imperatorem.

Epistola Synodalis etiam nomine Summi Pontificis, & omnium Conciliorum seu Episcoporum Sacræ Sedi subditorum, id est omnium Provinciarum in Occidente, scripta est. Summa hujus Epistolæ est eadem ac præcedentis. Fatentur Episcopi, se in scientiis parum esse versatos, & de Legatis suis dicunt: *Jussi sumus mittere Viros bonis moribus, & scientia Scripturarum instructos. Quod ad mores spectat, ut ut quis piissimos præferat, nemo in se ipso confidere præsumit; quod ad scientiam, si ad materiam Religionis restringatur, ea in sola cognitione Veritatis consistit. Si Eloquentia Sæcularis requiritur; non putamus, quemquam nostris temporibus sibi blandiri posse, quod artem bene dicendi calleat. Nunquam*

Sæculum VII  
A. C. 680.

p. 669.

p. 673.

p. 676.

p. 677.

p. 680.

p. 681.

Epistola  
Concilii  
Romani.

Sæculum VII *quam quiescere licet, variarum Nationum*  
A. C. 680. *furor nostras Provincias turbat, conti-*  
*nuæ pugnae, incurfus, latrocinia terrent.*  
*Semper Barbarorum arma vel experimur,*  
*vel timemus, labore manuum nostrarum*  
*vivimus, Ecclesiarum patrimonio sensim*  
*per diversas calamitates consumpto. Ni-*  
*hil jam nobis præter Fidem relictum;*  
*hanc, quoad vivemus, conservare incor-*  
*ruptam, gloriæ ducimus, pro hac mori*  
*posse lucrum æternum erit. Has ipsas*  
*Epistolas legenti patet, quam sincere scri-*  
*ptæ sint. Doctrinæ substantia nihil præ-*  
*stantius, (\*) sed Stylus est impeditus,*  
*& repetitiones frequentes tœdium pa-*  
*riunt.*

p. 685.

Porro Episcopi excusant, quod Le-  
gatos tardius mittant; longam enim  
viam esse, & multos Episcopos ex Pro-  
vinciis, quas Oceanus alluit, fuisse ad-  
vocandos. *Sperabamus, inquit, Theo-*  
*dorum Philosophum, Archiepiscopum Ma-*  
*gnæ Insulæ Britannicæ cum illius Regio-*  
*nis Episcopis, atque plures alios ex diver-*  
*sis locis venturos, ut nomine totius nostri*  
*Concili*

(\*) Frustra igitur clamant Protestantes, Li-  
terarum ignorantia corruptam fuisse Fidem in  
his Sæculis; nam sufficiens Doctrina etiam illis  
temporibus ad refutandos Monothelitas, subti-  
lissimos Hæreticos, in Italia, & in Ecclesia Ro-  
mana fuit.

Concilio tibi scriberemus, & omnes, quid actum fuisset, certiores fierent. Idque maxime ideo, quod multi ex Confratribus nostris in medio Nationum Barbarum, Longobardorum, Sclavorum, Francorum, Gotborum, & Britonum versentur. Omnes sciendi cupidi sunt, quid circa Fidem agatur, & quo magis juvare nos possunt, si concordēs simus, eo magis nos averfarentur, si circa hanc Fidei Quæstionem iis scandalum poneremus. Mittimus Viros, Confessionem Fidei omnium nostrum, quotquot sumus, Episcoporum Septentrionis, & Occidentis tibi tradituros, non vero ad disputandum tanquam de Doctrina incerta, & mutationi obnoxia. Et infra: Tanquam Fratres recipimus omnes Episcopos, nobiscum omnia docere volentes, quæ in hac Confessione continentur; damnamus vero omnes illos, qui hanc rejiciunt, nec ullo tempore feremus, ut in nostra Communione sint, nisi errorem correxerint. Secunda huic Epistolæ Pontifex, & omnes Episcopi, in Concilio Romano præsentēs, subscripserunt.

## §. VIII.

*S. Benedicti Biscopii itinera.*

Sub idem tempus, & forte ante Concilium Romanum, Summus Pontifex in Angliam remisit S. Benedictum Biscopium,

Sæculum VII  
A. C. 680.

p. 688.

p. 689.

p. 692.

Sæculum VII  
A.C. 680. *vit. to. 2. Act.*  
*p. 104.*  
*Sup. Lib.*  
*XXXIX.*  
*§. 43.*

pium, qui jam quinto Romam venerat, Quarto iter illuc instituerat anno circiter 670. postquam Adriano Abbati Monasterii S. Petri Cantuariæ curam commisisset. Tunc multos Libros Ecclesiasticos, partim coemptos, partim dono acceptos in Angliam retulerat, cumque in reditu Viennam divertisset, etiam ex illa Civitate libros aliquos antea emptos, & in domibus amicorum depositos, repetiit. In Angliam reversus, ad Egfridum Regem Nordhumbriæ detulit omnia, quæ in itineribus suis ad incrementum Religionis fecisset, quid Romæ & in aliis locis circa Disciplinam Ecclesiasticam & Monasticam didicisset, ostenditque libros & Reliquias, quas attulerat. His Regis animum usque adeo demulsit, ut ei territorium septuaginta familiarum, id est, totidem agros, ex quibus familia ali solet, donaverit, ubi Monasterium in honorem S. Petri ædificaret.

Igitur Monasterium ad ostium Viramnis, unde nomen Virimuthum sortitum est, anno 674. Regni Egfridi quarto, Indictione secunda extruxit.

Post unius anni spatium Benedictus in Galliam delatus, inde structores murales adduxit, qui Ecclesiam suam ex lapidibus & more Romano fornicatam ædificarent. Et quia in Britannia nulli erant

erant Vitriarii, ejusmodi opificibus quoque accersitis, Ecclesiæ aliarumque ædium fenestris specularia inseruit. Ita Angli artem hanc didicerunt. Præterea omnia ad Officium Altaris & Ecclesiam necessaria, quæ in illa Regione inveniri non poterant, sive vasa sive ornamenta ex Provinciis ultramarinis advehi curavit. Tandem ut ea, quæ in Gallia quoque deerant, compararet, quinto Romam profectus est. Sed ante hoc iter aliud fundavit Monasterium; nam cum Rex Egfridus cerneret, quam pie usus fuisset priore Beneficio, alterum quoque fundum quadraginta familiarum in loco, qui *Girve*, seu Jarovia, dicebatur, duabus leucis a Virimutho distante, eidem donavit, ubi Monasterium in honorem S. Pauli conderet. In eo Ceolfridus Presbyter primus Abbas fuit, atque hæc duo Monasteria S. Petri & S. Pauli tam arcte unita erant, ut una Congregatio videretur. Benedictus Biscopus etiam Monasterio S. Petri Abbatem præfecit, Propinquum suum Esterwinum, quod ipse frequenter iter faceret. Cum igitur quinto Romæ fuisset, inde innumeros omnis generis libros, & plurimas Reliquias, multas quoque imagines Sanctorum ad decorandam S. Petri Ecclesiam retulit. Secundum mandata a Rege Egfrido accepta ab Agathone Papa Privilegium obtinuit,

Sæculum VII  
A. C. 680.

S. Benedicti  
Biscopii iti-  
nera.

8.

sæculum VII tinuit, quo Monasterii Libertati consule-  
A. C. 680. batur. Tandem cantum & Cæremonias Romanas in illud invehere cupiens, rogavit Pontificem, ut sibi in Angliam redituro Joannem Ecclesiæ S. Petri Cantorem, & ad S. Martinum Romæ Abbatem socium daret, quod etiam Papa concessit.

Ceterum Agatho Papa Joanni Abbati mandata dedit majoris momenti, nempe, ut Fidem Ecclesiæ Anglicanæ gnæviter exploraret, & Romam perscriberet; quippe Pontifex scire volebat, non solum quid ceteræ Provinciæ, sed etiam quid Anglia de Hæresi Monothelitarum sentiret. Joannes Abbas Acta Concilii Romæ sub Sancto Martino Papa celebrati secum detulit, atque in Anglia Concilio, quod Theodorus Archiepiscopus in Causa ejusdem Hæresis Monothelitarum Egfridi Regis anno decimo, decimo quinto Cal. Octobr. Indictione octava, id est, anno 680. decimo septimo Sept. celebravit, interfuit. Locus, ubi Patres convenerunt, vulgo *Etsfeld* dicebatur. Porro in eo Concilio Ecclesia Anglicana Fidem suam profitetur, atque edicit, quod recipiat quinque Concilia Generalia & Concilium S. Martini Papæ, quod damnatos ab his Conciliis damnet, & receptos recipiat. Unum hujus Concilii Exemplar Joanni datum, quod Romanam

*Bed. IV. hist.*  
*c. 18.*

*c. 17.*

*c. 18.*

mam deferret. Ipse sua ex parte Con-  
 cilium S. Martini Papæ Monachis S. Be-  
 nedicti Biscopii describendum dedit.

Sæculum VII  
 A.C. 680.

Joannes etiam ordinem scriptum,  
 quo Festa toto anno celebranda erant,  
 reliquit, cujus exemplaria multi sibi  
 compararunt, tantum vero Romanum  
 viva voce alios docuit Cantores peri-  
 tissimi ex omnibus illius Regionis Mo-  
 nasteriis ad eum audiendum veniebant,  
 multi, ut ad se inviseret, invitabant.  
 Tandem in Galliam trajecit, Romam re-  
 diturus; sed in via morbo correptus,  
 diem oppetiit. Amici ejus corpus ad  
 Ecclesiam S. Martini Turonensis trans-  
 ferri, & honorifice sepeliri curarunt;  
 nam eo diverterat, cum in Angliam pro-  
 ficisceretur, jam pridem S. Martino, cu-  
 jus Nomini Monasterium Joannis Abba-  
 tis Romæ dicatum erat, devotissimus,  
 eumque Monachi humanissime susce-  
 ptum rogaverant, ut in reditu iterum  
 ad ipsos inviseret. Comites quoque  
 dederant, qui iter facientem juvarent.

Ceterum Obitus ejus non obstitit,  
 quo minus Confessio Fidei Anglorum Ro-  
 mam deferretur, ubi maximo omnium  
 & Summi Pontificis gaudio excepta est.

S. Benedictus Biscopus duo sua Mona-  
 steria imaginibus Roma allatis exorna-  
 vit. In intima Ecclesiæ S. Petri parte  
 Iconem S. Virginis, & duodecim Apo-

*vit. n. 6. to. 2.*  
*Act. p. 1005,*  
*Hist. Eccles. Tom. IX. C c stolo*

Sæculum VII stolorum, in pariete ad meridiem spectante Historias Evangelii, & ad septentrionem Visiones Apocalypticas collocavit. Erant autem imagines istæ plana superficie. Itaque, etiam litterarum rudibus, Ecclesiam subeuntibus undique rerum gestarum imagines aspectu pulchræ, utilesque objiciebantur, scilicet, JESUS CHRISTUS, & Sancti ejus; qua ratione Gratia Incarnationis, & ultimi judicii terror in Fidelium memoriam reducebantur. Ita de his Beda, qui has imagines suis oculis vidit.

n. 9. Benedictus Biscopius in Monasterio S. Pauli affixit multas effigies, quæ veteris, novique Testamenti concordiam representabant, quales sunt Isaaci portantis ligna sui Sacrificii, & JESU CHRISTI Crucem bajulantis. Item Serpentis ænei, & JESU CHRISTI crucifixi.

### §. IX.

#### *S. Wilfridi Reditus.*

Concilio Romano soluto S. Wilfridus in Angliam redire, atque latam Sententiam Theodoro Archiepiscopo Regique Egfrido exhibere jussus est. Privilegium quoque ab Agathone Pontifice Monasterio suo Riponensi impetravit, & quod Ecclesiis Angliæ solatium futurum sciebat, multas Reliquias, quibus singulorum Sanctorum Nomina adscriperat, multas

*vitæ per*  
*Eddi. c. 31.*  
*c. 44.*

multaque alia ad ornandas Ecclesias necessaria accepit. Longobardiæ campos emensus, superatisque Alpibus, ubi Francorum Regnum attigit, fama accepit, amicum suum Regem Dagobertum turpi proditione a conjuratis Ducibus, & consentientibus Episcopis paucos ante dies fuisse obtruncatum; quippe tetrum facinus ausi fuerant parricidæ instigante Ebroino, cujus tunc temporis, sub Regis Theodorici umbra, immensa in Neustria erat potentia. Ipse etiam in Austrasia expulsis legitimis spurios Episcopos, quales erant Vaimarus Trecensis, & Pharamundus Trajectensis, intruserat; unde ex illo tempore Ecclesias Franciæ atrox calamitas pressit. Rex Dagobertus II. Stenovici terræ mandatus est, ibique a pluribus Sæculis ut Martyr colitur; nam more temporum illorum omnes, qui piam vitam duxerant, si vi injusta necati fuissent, Martyris Titulo honorabantur. Hunc Dagobertum quidam posteriorum temporum Scriptorum per errorem putarunt esse eundem ac Avum ipsius Dagoberti I. eumque Fundatorem laudarunt Ecclesiarum ac Monasteriorum, præsertim in Allatia, quæ tamen Dagobertum II. Parentem habent.

Rex Theodoricus, qui in Neustria & Burgundia regnabat, Dagoberto sublato, in Austrasia quoque tota, Francorum

Sæculum VII  
A. C. 680.

c. 31.

v. Mab. in  
Præf. part.  
I. Sæc.

v. Abr. hist.  
Ord. S. B.  
to. I. p. 652.

Sæculum VII potentia subnixus imperare cœpit, & se  
 A. C. 680. impletum est vaticinium S. Eligii; ei e-  
 nim, Rege Clodoveo II. adhucdum in  
 vit. S. Eligii vivis agente, per noctem visum oblatum,  
 Lib. II. c. 31. quod postea narrabat in hunc modum:  
 videbam quasi circa horam diei tertiam  
 splendentissimum solem subito disparere.  
 Insolitum prodigium obstupescenti ob-  
 jicitur luna oriens orbe dimidiato tribus  
 stellis stipata & tritum solis cursum te-  
 nens. Tum luna evanuit, manentibus  
 stellis, quæ usque ad meridiem progres-  
 sæ, radios colliserunt, & pulchrior subi-  
 to mihi ex oculis erepta est. Duæ reli-  
 quæ conjungi videbantur, sed altera de-  
 repente obscurata est & oculis meis sub-  
 tracta. Ultima, quæ supererat, solis  
 viam secuta crescente semper fulgore,  
 cum ad Occidentem pervenisset, ipso so-  
 le lucidior videbatur. Ejusmodi fuit S.  
 Eligii visum. S. Audoenus, qui istud  
 litteris consignavit, non nisi partem hu-  
 jus portenti impleri vidit, quippe scriptis,  
 cum Chilpericus adhuc luce frueretur.  
 Hæc vero est totius Visionis explicatio:  
 Sol signum erat Regis Clodovei II. qui  
 solus in Francia regnavit, & post breve  
 tempus e vita decessit. Luna figura e-  
 rat Reginae S. Bathildis, & tres stella-  
 trium filiorum ejus Clotarii, Childerici,  
 & Theodorici, quibuscum aliquamdiu  
 regnavit. Postquam Mater mundo vale-  
 dixit

S. Eligii  
 Visum.

dixit Monasterium ingressa, funesto bello collisi sunt filii, & Clotarius post breve temporis spatium e vita abiit. Childeberto haud diu post interfecto, tandem Theodoricus, ut olim Parens suus, solus Francis imperavit.

S. Wilfrido per Regnum Franciæ proficiscenti Episcopus ex numero Interfectorum Regis Dagoberti cum valido exercitu occurrit, habebantque milites in mandatis, ut omnes S. Viri comites caperent, repugnantes occiderent, ceteros auctione venderent; S. Wilfridum vero carceri interim traditurus erat, ab Ebroino judicandum. At tantum potuit in hunc virum S. Wilfridi eloquentia, ut eum ad petendam veniam adegerit. Igitur confecto feliciter itinere in Anglia appulit.

*vit. per Eddi.*  
c. 31.

c. 32.

Inter hæc Ebroinus in Francia Divinæ Justitiæ pœnas dare coactus. Triennio ab obitu S. Leodegarii, nempe anno 681. Optimatum aliquis, Hermenfridus nomine, cui Ebroinus Bonis omnibus spoliato, etiam necem minitabatur, quodam die Dominico, antequam illucesceret, in insidiis stetit, atque domo sua egredientem ut Officio matutino interesset, gladio tam valide feriit in capite, ut paulo post ex vulnere mortuus fuerit. Ex his videmus, illis temporibus nobilissimos Viros, negotiis Reipublicæ occupatos,

Cc 3 &

Sæculum VII & alios a pietate minime laudandos, non  
A. C. 680. tamen putasse, sibi ab Officiis Divinis et  
 tiam nocturnis abesse licere.

## §. X.

*Legati Constantinopolim perveniunt.*

*Anast. in  
 Agath.  
 v. Baron. h.  
 an. n. 39.*

*S. Niceph.  
 Chr.*

*Theoph. an.  
 10. Const. p.  
 196. Sacra  
 to. 6. Conc.  
 p. 599.*

Agathonis Papæ Legati decimo die  
 Sept. Indictione nona, anno 680. Con-  
 stantinopolim pervenientes ab Impera-  
 tore Constantino in Sacello Sancti Petri,  
 quod in Palatio erat, excipiuntur. Im-  
 perator acceptis Papæ Epistolis hortari  
 coepit Legatos, ut in tractandis Fidei  
 Quæstionibus a contentione & verbo-  
 rum acerbitate temperarent, nec argu-  
 menta ab assertis Philosophorum quære-  
 rent, sed ex Scriptura, Patribus, & Con-  
 ciliis depromerent. Tempus dedit, quo  
 Mandata sua relegerent, & assignata Do-  
 mo Placidia, in qua diversarentur, om-  
 nia vitæ necessaria præberi jussit. Eo-  
 dem die decimo Sept. Imperator scripsit  
 Georgio Patriarchæ Constantinopolita-  
 no; nam Theodoro ea Dignitate priva-  
 to, etsi adhuc viveret, in ejus Sedem e-  
 vectus fuerat Georgius Presbyter, The-  
 sauri Custos, & Syncellus, qui annis sex  
 Sedem tenuit. Igitur in his litteris Im-  
 perator Patriarchæ præcipiebat, ut om-  
 nes Metropolitans & Episcopos suæ Se-  
 di subjectos Constantinopolim convoca-  
 ret, moneretque Macarium Patriarcham  
 Antio-

Antiochenum, Constantinopoli versan- Sæculum VII  
A. C. 680.  
tem, ut suos quoque ad examinandam  
Quæstionem Fidei convenire juberet.

*Nos enim jam ante, inquit Imperator, id  
ipsum ut faceret, Donum Papam bor-  
tati fuimus; nunc vero Agatho, qui nu-  
per Dono successit, Legatos tam nomine  
suo quam totius Concilii sui ad nos mi-  
sit, qui ad pedes nostros accidentes, ambo-  
rum Epistolas nobis reddiderunt.*

Die Dominico Legati Pontificis in-  
vitati fuere, ut ad Ecclesiam Dominæ  
Nostræ in Blachernis procederent, quod  
ut majore pompa fieret, Imperator iis-  
dem ex Palatii stabulis equos, & ma-  
gnum hominum comitatum misit.

*Anast.*

§. XI.

*Concilium Generale Sextum.*

*Sessio I.*

Tandem Concilii Patres primo conve- Act. I. p. 606.  
nere die septimo Novembris anno  
680. ex quo Constantinus cum patre suo  
regnare cœpisset, vigesimo septimo, ab  
ejus Consulatu, seu a morte Patris de-  
cimo tertio, Indictione nona. Locus  
Sessionis fuit Palatii Atrium quod voce  
latina Trullus, id est, arcuatæ structuræ  
fastigium, vocabatur. In spectatissimo  
loco Imperator sedebat, quem ex Pur-  
puratis tredecim circumdabant, Conci-  
lio interesse jussi.

Cc 4

In

Sæculum VII    In hac prima Sessione solum quadra-  
A. C. 680.    ginta circiter Episcopi ex Thracia & vi-  
 cinioribus Asiæ Regionibus adfuere, re-  
 liquorum adventu a viâ longitudine re-  
 tardato.

Primi nominantur Papæ Legati, scilicet, Theodorus & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus, post hæc Papa electus. Secundo Georgius Patriarcha Constantinopolitanus, Petrus Presbyter & Monachus, Legatus Sedis Alexandrinæ. Tum Macarius Patriarcha Antiochenus, præsens. Georgius Presbyter & Monachus Legatus Theodori, Vicarii Sedis Jerosolymitanæ, verisimiliter vacantis. Nomina Patriarcharum sequuntur Nomina Legatorum Concilii Romani, scilicet, Joannis Episcopi Portuensis, Abundantii Episcopi Paternensis, Joannis Regiensis, Theodori Presbyteri a Theodoro Archiepiscopo Ravenatensi speciatim delegati. Tum leguntur Basilus Episcopus Gortynensis in Creta, Theodorus Ephesinus, Sisinnius Heracleensis in Thracia, Georgius Cyzicenus, Petrus Nicomediensis, Photius Nicenus, Joannes Calcedonensis, Theodorus Melitinensis, Sisinnius Hierapolitanus in Phrygia, Macrobius Seleucien- sis in Isauria, & ceteri, quadraginta tres numero. Hic notandum, quod absentium Legati obtineant illum locum, qui  
 Sedi-

Sedibus suorum Episcoporum compete-  
 bat, etiamsi Presbyteri essent. Post o-  
 mnes Episcopos nominantur Presbyteri  
 sex, tum Abbates, tum Monachi, atque  
 ultimo ponitur Stephanus Macarii Pa-  
 triarchæ Antiocheni Discipulus. Ceteri  
 erant Siculi, Romani, & Constantinopoli-  
 tani.

Sæculum VII  
 A. C. 680.

Porro in hoc Concilio sedebant tali  
 ordine; in medio erat Imperator, Pro-  
 ceribus utrumque latus circumdantibus.  
 Tum ad sinistram (ibi enim apud Græ-  
 cos erat locus honoratior) sedebant Le-  
 gati Summi Pontificis, (\*) ejusque Con-  
 ciliæ, & Legatus Jerosolymitanus. Ad  
 dexteram erant duo Patriarchæ Constans-  
 tinopolitanus, & Antiochenus, Legatus  
 Cc 5 Ale-

(\*) Hic adversus Protestantes notandum.  
 Quamvis Ecclesiæ Alexandrina, Antiochena, &  
 Jerosolymitana etiam essent Sedes Apostolicæ,  
 nihilominus, his depressis, Patriarchas Constans-  
 tinopolitanos, quia Civitas hæc Imperatorum  
 Sedes erat, se ipsos ad secundum locum eve-  
 xisse. Cur ergo, saltem in Conciliis Constans-  
 tinopoli celebratis, & Imperatorum Sede jam  
 ante annos prope quadringentos Roma Con-  
 stantinopolim translata, cum Pontifice Romano  
 de Primatu disputare ausi non sunt? Certe non  
 alia causa excogitari potest, quam Prærogativa  
 a Jesu Christo soli Petro & Successoribus ejus  
 collata.

Sæculum VII Alexandrinus, Episcopus Ephesinus, &  
 A. C. 680.

alii Sedibus Constantinopolitanæ aut Antiochenæ subjecti. Patriarcha Alexandrinus, & Vicarius Jerosolymitanus ipsi ad Concilium venire non potuerant, quod sub potestate Arabum viverent. Eadem causa fuit, quod nullus Episcopus ex Provinciis duobus illis Patriarchis subjectis, nec ex Africa venerit. Papæ Oratores ad Imperatorem conversi ex-

p. 610. ordium dicendi fecerunt in hunc modum: *Effluxerunt anni ferme quadra-*

Sessio prima  
 Concilii  
 Oecumenici. *ginta sex, ex quo Sergius, hujus Sedis Episcopus, aliique, novas voces Fidei ad-versantes invexerunt, docentes, in Jesu Christo unicum Voluntatem & unicum*

p. 611. *Operationem esse. A Sacra Sede, qua hunc errorem rejecit, moniti, eundem deponere noluerunt. Ideo a tua Majestate poscimus, ut illi, qui a parte Ecclesie Constantinopolitanæ stant, edicant, unde nova hæc opinio originem sumpserit. Imperatore jubente, ut Georgius Constantinopolitanus & Macarius Antiochenus ad hanc Quæstionem responderent, Macarius Antiochenus cum suo Discipulo Stephano, & nomine Sedis Constantinopolitanæ Episcopi duo, Petrus Nicomediensis, & Salomon Claniensis dixerunt: Non docuimus novam Opinionem, sed ea, quæ a Conciliis Oecumenicis & Patribus receptis, ab illis, qui hanc Sedem*

*Sedem Constantinopolitanam tenuerunt, Sæculum VII  
Sergio, Paulo, Pirrho, & Petro, ab Ho- A. C. 680.  
norio, (\*) antiquæ Romæ Papa, & Cyro  
Papa Alexandrino, accepimus. Eadem  
ac ipsi de Voluntate & Operatione cre-  
dimus & docemus, atque ad id demonstran-  
dum parati sumus.*

Imperator dixit: *Si id demonstrare  
vultis non alia ratione vobis liceat, quam,  
ut dixistis, ex Conciliis & Patribus.  
Auguste!* dixit Macarius, *jube, ut Ta-  
bularum bujus Ecclesiæ Custos Libros  
Conciliarum ex Domo Patriarchali affe-  
rat.* Annuente Imperatore Georgius  
Diaconus, Tabularum Custos, ex loco  
Concilii egressus Bibliothecam Patriar-  
chalem adiit, & post modicum tempo-  
ris intervallum reversus, Libros Conci-  
liorum Oecumenicorum attulit. Mox-  
que jubente Imperatore, ut eos cuiquam  
legendos traderet, Stephanus Mona-  
chus Macarii Antiocheni Discipulus ar-  
repto

p. 614.

(\*) Advertendum, quod hic ab initio con-  
testationis Honorius Papa nominetur, & Legati  
sileant; cum tamen S. Agatho Papa in sua ad  
Imperatorem Epistola, nominatis Cyro, Theo-  
doro Pharanita, Sergio, Pirrho, Paulo, & Petro  
Constantinopolitanis Episcopis, de Honorio Pa-  
pa non tantum nullam mentionem fecisset, sed  
paulo superius dixisset, Sacram Sedem nunquam  
errasse. Sup. N. VII.

Sæculum VII repto primo Volumine Concilii Ephesi-  
A. C. 680. ni legere cœpit, cumque venisset ad  
 Dissertationem S. Cyrilli ad Imperato-  
 rem Theodosium directam, quæ incipit:  
*Gloria hominum.* Recitavit hæc ver-  
 ba: *Imperii tui fulcrum est idem ille JEsus Christus, per quem Reges regnant, & Potentes decernunt Justitiam, quia Voluntas ejus Omnipotens est.* Tum Macarius Antiochenus dixit: *Ecce! Imperator! hæc est demonstratio! probavi, unam in JEsu Christo Voluntatem.* At Legati Romani surgentes cum quibusdam Episcopis Provinciæ Constantinopolitanæ & Magistratibus clamarunt: *Macarius hunc Textum perverse exponit. Hic Sancto Cyrillo de Voluntate Divina JEsu Christi sermo est, cum eam dicat Omnipotentem, nec unam cum nota numeri singularis affirmet.*

Hoc primo Volumine Concilii Ephesini atque etiam altero jubente Imperatore perlecto, ait: *Sufficit, bodie Acta Concilii Ephesini fuisse lecta. Proxime Acta Calcedonensia legentur.* Ita prima Actio seu Sessio Concilii sexti terminata.

## §. XII.

*Sessio secunda.*

Sessio secunda, elapso exinde triduo, decimo Novembris coram Imperatore

re & tredecim Purpuratis habita est, iisdem ac in prima Episcopis & Legatis presentibus. Paulus Imperatori ab Epistolis sermone ad eum converso dixit: *Pietas tua sicut etiam totum Concilium meminit, quod perlecto Concilio Ephesino visum fuerit, etiam Concilium Calcedonense legi.* Tum Imperatore iubente Antiochus Lector, Patriarchæ Constantinopolitani Notarius, lecta aliqua primi Voluminis parte ad illum locum Epistolæ S. Leonis ad Flavianum pervenit, ubi dicit: *Utraque Natura agit quod sibi proprium est cum participatione alterius. Verbum operatur, quod Verbo, & Caro, quod Carni convenit. Illud miraculis clarescit, & ista in Passione succumbit.* Ad hæc verba Oratores Romani e Sede sua surgentes exclamarunt: *Ex his intelligis, Auguste! hunc Patrem diserte docere duas Operationes in Jesu Christo Naturales sine confusione & sine divisione, idque docet in illa Epistola, quam Concilium Fidei Orthodoxæ fulcrum appellavit. Quid ad hæc Venerabilis Macarius, & qui cum ipso eandem opinionem sequuntur, respondent?* Macarius dixit: *Ego vero, Auguste! non affirmo duas Operationes, nec dispicio, Leonem Beatæ memoriæ in hoc loco id affirmasse.* Imperator dixit: *An ergo credis, Leonem unam affirmasse Operationem?* Macarius respon-

Sæculum VI  
A. C. 680.

p. 618.

Sæculum VII  
A. C. 680.

respondit: *Nolo loqui de numero; sed solum dico esse Operationem Theandricam juxta S. Dionysium.* Imperator: *Quomodo vero hanc Operationem Theandricam explicas?* Macarius: *De Operatione Theandrica non audeo Sententiam pronunciare.* Perlecto deinde Concilio Calcedonensi, Imperator lectionem Concilii quinti ad Sessionem futuram differri jussit.

§. XIII.

*Sessio Tertia.*

*S*essio tertia sexti Concilii triduo post secundam, id est, decimo tertio Novembris celebrata. Antiocho Lectori quintum Concilium legere incipienti, statim occurrit Scriptum, cui Titulus: *Dissertatio Mennæ Archiepiscopi Constantinopolitani ad Vigilium Papam Romanum data; quod unica in Jesu Christo Voluntas sit.* Ad hanc lectionem Oratores Romani surgentes exclamarunt: *Imperator! hic liber corruptus fuit. Non legatur falso sic appellata Dissertatio Mennæ ad Vigilium; nam spuria est. Sed jube, ut hoc Quinti Concilii Volumen examinetur, & liquido tibi constabit, hanc Dissertationem recentiore tempore fuisse adjectam. Quippe Mennas fati functus est anno Justiniani vigesimo primo, at Quintum Concilium*  
convoc.

p. 619.

p. 622.

convocatum est vigesimo septimo, cum Sæculum VII  
A. C. 680.  
*Eutyebius* hujus Civitatis Constantinopolitanae Episcopus esset. Imperator & Magistratus cum aliquot Episcopis librum attente considerantes deprehenderunt, initio addita fuisse tres minores codices, qui Notas seu Chirographum apponi solitum non habebant, sed signum primum visebatur in quarto codice, secundum in quinto, & sic de ceteris. Præterea Scriptura trium codicum additorum ab antiqua Scriptura ejusdem Voluminis erat diversa. Ergo Imperator dixit: *Non legatur hæc Dissertatio, sed Præfatio Quinti Concilii.*

Lecto volumine primo, & deinde etiam secundo, ventum est ad duas depravatas *Vigilii* Papæ Epistolas, unam datam ad *Justinianum* Imperatorem, & alteram ad *Theodoram Augustam*, in quibus legebantur hæc verba: *Anatimizamus etiam Theodorum Mopsuestenum, qui non confitetur, Jesum Christum esse unam Hypostasim, unam Personam, unam Operationem.* Hic iterum Legati Romani surgere, & exclamare: *Deum immortalem! Auguste! Vigilus non affirmavit unam Operationem. (\*)*  
*Istarum*

p. 623.

(\*) Mirandi omnino locus est, Legatos Romanæ Sedis *Vigilii* Papæ Defensionem ferventer in se suscepisse, quibus *Honorii* Papæ fama nullatenus curæ fuit.

Sæculum VII *Istarum Epistolarum Vigilus Auctor non*  
 A. C. 680. *est. Hoc quoque Volumen adulterarunt.*

p.626. *Si enim Vigilus unam esse Voluntatem docuisset, & Concilium hanc Opinionem approbasset, hanc utique vocem Patres in Definitione Fidei adhibuissent. Si legi jusseris, audies, nos vera dixisse. Lecta igitur ex Ordine integra Fidei Confessione, nulla de una Operatione mentio occurrit. Postularunt Oratores Romani, ut liber iste ad detegendam fraudem examini subjiceretur, quod Imperator in aliud tempus distulit, & continuari lectionem jussit.*

*A.680.Dec.* Ubi omnia perlecta; quæsit Imperator ex Concilii Patribus & Magistratibus, an ipsis videretur, quod Macarius Antiochenus, ut promiserat, satis demonstrasset, unicam Voluntatem & Operationem esse in Jesu Christo. Responderunt, non demonstrasse. Tum jussit Imperator, ut Macarius & Sectatores ejus Doctrinam suam, sicut promiserant, ex Textibus Patrum probarent; Macarius vero & Sectatores moram rogarunt, postquam Patrum Opiniones in medium afferrent, jussitque Imperator, ut istud in proxima Sessione fieret. Georgius quoque Constantinopolitanus & Episcopi ipsi subjecti petierunt, ut legerentur Agathonis Papæ & Concilii ejus Epistolæ ad

ad Imperatorem datæ, quod etiam ad Sæculum VII.  
Sessionem sequentem dilatam. A.C. 680.

## §. XIV.

*Sessio Quarta, Quinta, & Sexta.*

In Sessione quarta exinde post biduum p. 630.  
celebrata, nempe decimo quinto Nov.  
lectæ sunt duæ Epistolæ Papæ & ejus  
Concilii in Græcum sermonem a Dioge-  
ne Notario Imperatoris translata. In  
Sessione quinta post lapsum trium septi-  
manarum nempe septimo Dec. Maca-  
rius Antiochenus, Imperatore jubente,  
duo Volumina produxit, Textus Patrum  
excerptos continentia. Primo Volumi-  
ni titulus erat: *Textus Sanctorum Pa-* p. 713.  
*trum, qui docent Jesum Christum babe-*  
*re unicam Voluntatem, quæ est Voluntas*  
*Patris & Spiritus Sancti.* Perlecto u-  
troque Volumine Imperator dixit: *Si*  
*Macario & Discipulis ejus præter hos*  
*alii quoque Patrum Textus sunt, eos in*  
*Sessione proxima producant.*

Ejusmodi Textus in medium attulit Febr. 681.  
Macarius in Sessione sexta post elapsos  
menses duos, duodecimo die Febr. anno  
681. Illo igitur die, cum aliam Tex-  
tum Collectionem produxisset, etiam  
hæc perlecta est. Tum ipso fatente, quod  
plures non haberet, jussit Imperator, ut  
his tribus Voluminibus clausis Magistra-  
tus, Oratores Romani, & Sedis Con-  
stantinopolitanae

Sæculum VII Constantinopolitanæ sigilla apponerent.  
 A. C. 681. Quod etiam, ut præceptum erat, factum.

Pontificis deinde Legati dixerunt:

p. 720. *Domine! ex omnibus his Patrum locis  
 Macarius Antiochenus, Stephanus ejus Di-  
 scipulus, Petrus Episcopus Nicomediensis,  
 & Salomon Claniensis, nullatenus demon-  
 strarunt, unicam esse Voluntatem & u-  
 nicam Operationem. Imo Textus, quos  
 attulerunt, truncarunt, nam ea, quæ ad  
 Voluntatem unicam Trinitatis pertinent,  
 ad Incarnationem detorserunt, quæ vero  
 hanc Quæstionem, & Incarnationem re-  
 spiciunt, omiserunt. Itaque Majestati  
 Tuæ supplices accidimus, ut ex Palatio  
 Patriarchali bujus Civitatis produci ju-  
 beantur Libri Authentici, unde Textus  
 suos excerpserunt. Tunc Textus Texti-  
 bus conferemus, & fraudem patefaciemus.  
 Præterea in manibus habemus Volumen  
 continens multos Textus Patrum, unde  
 duæ Voluntates & duæ Operationes li-  
 quido probantur. Habemus etiam mul-  
 tos Textus Hæreticorum, cum Macario  
 & Discipulis ejus unam Voluntatem af-  
 firmantium. Petimus ut legantur. Im-  
 perator omnia ad tempus futuræ Sessio-  
 nis distulit.*

§. XV.

*Sessio Septima.*

*Sessio septima mox altero post sextam  
 die,*

die, nempe decimo tertio Februarii ce-  
 lebrata. Tota Collectione Textuum ex  
 Patribus & Hæreticis, quam Legati Pon-  
 tificii produxerant, a Stephano Presby-  
 tero & Monacho, eos Constantinopo-  
 lim secuto, perlecta, quæsiuit Imperator,  
 an alios præterea haberent. Respon-  
 derunt: *Quamvis plurimos alios pro-*  
*ducere possimus, satis nobis est hos attu-*  
*lisse, ne longa mora tibi fastidii causa si-*  
*mus. Sed a Te suppliciter rogamus, ut*  
*Archiepiscopi Georgius & Macarius in-*  
*terrogentur, an omnia, quæ in duabus E-*  
*pistolis Agathonis Papæ & Concilii ejus*  
*continentur, recipiant.* Tum Georgio  
 & Macario petentibus, ut priusquam re-  
 sponderent, ipsis istarum Epistolarum ex-  
 empla, descripta traderentur, quæ cum  
 exemplis Bibliothecæ Constantinopoli-  
 tanæ conferrent, concessit Imperator,  
 quod rogabant, iussitque, ut Collectioni  
 Textuum, a Romanis productorum, tam  
 Magistratus, quam adversæ partes, sicut  
 prius Macarii Voluminibus, signa impri-  
 merent. Id quoque effectui datum.

## §. XVI.

*Sessio Octava.*

Sessio octava deinde post Septimanas  
 tres, nempe septimo die Martii, Indi-  
 ctione nona, anno 681. celebrata. Im-  
 peratori quærenti ex Georgio Constan-

Dd 2

tino-

Sæculum VII  
A.C. 681.

p. 724.

Anast. in  
Agath.  
v. Conbesis.  
pro act. Syn.  
§. 2.

681

681

p. 719.

Sæculum VII<sup>o</sup> tinopolitano, ex Macario Antiocheno,  
A.C. 681.

& Episcopis, qui ipsis subiciebantur, an-  
sensum duarum Epistolarum Agathonis  
Papæ, & ejus Concilii reciperent, Geor-  
gius Patriarcha respondit: *Auguste!*  
*Legi has Epistolas, tumque libris, qui a-*  
*puđ me in Bibliotheca Patriarcbali sunt,*  
*diligenter examinatis, omnes Patrum*  
*Textus ab ipsis adductos Scriptis Authen-*  
*ticis consentaneos sine ullo prorsus discrim-*  
*ine inveni. Hinc ego quoque has Epi-*  
*stolas recipio, fateor!* & hæc est Fides  
mea. Theodorus Episcopus Ephesinus  
dixit: *Princeps! confiteor, & credo,*  
*quæ in illis duabus Epistolis continentur;*  
*duas Naturas, duas Voluntates, & duas*  
p.732. *Operationes in Jesu Christo esse. Idem*  
733. Sifinnius Heracleensis in Thracia, Geor-  
gius Cyzicenus, Joannes Calcedonensis,  
Sifinnius Hierapolitanus in Phrygia,  
Georgius Byziensis in Thracia, Grego-  
rius Mitylenensis, Andreas Methymnen-  
sis, Sergius Selymbriensis, Domitius  
Prusiadenus, & Genesis Anastasiopoli-  
tanus confessi sunt.

At Theodorus Episcopus Melitinen-  
sis in Armenia in medium prodiens di-  
xit: *Auguste! vir sum simplex & rusti-*  
*cus; sed rogo ut hic libellus legatur.*  
Eum igitur Joannes, Imperatori ab Epi-  
stolis, legit. Ea vero summatim conti-  
nebat: *Patres, quorum Textus amba*  
Partes

*Partes adversæ referunt, ante Quintum Sæculum VII  
Concilium vivebant; quare ergo nullum A. C. 681.  
ex quatuor Conciliis, nec etiam Quintum, nihil aliud de Incarnatione doceri præcepit, nisi duas Naturas in una Persona? Hinc Majestatem tuam, cujus sollicitudo de pacandis Ecclesiis maxima laude digna est, rogamus, ut non permittas, quemquam limites Patrum nostrorum transgredi, aut mortuorum aliquem accusari, sive unam Operationem & unam Voluntatem, sive duas Operationes & duas Voluntates docuerit, nisi ex numero Hæreticorum a Conciliis Damnantorum sit.*

Imperator jussit Theodorum edicere, quinam cum ipso hunc Libellum composuissent. Ipse nominavit Petrum Episcopum Nicomediensem, Salomonem Claniensem, Antonium Hypepiensem, & alios, quorum consilio Patriarcha Constantinopolitanus utebatur, scilicet, Georgium Diaconum & Tabularum Custodem, Anastasium Diaconum, Notarium, & Navigiorum curatorem, Stephanum & Dionysium ambos Diaconos & Tabularios, Anastasium Presbyterum & Monachum, & tandem Stephanum Presbyterum & Monachum Patriarchæ Antiocheni Discipulum. Rursus quærenti Imperatori: *Quis tibi Libellum dedit, quem nobis obtulisti?* Theodorus Melitenensis

p. 736.

Libellus  
Theodori  
Melitenensis

D d 3

respon-

Sæculum VII respondit: *Hic Abbas Stephanus*, eum.  
A C. 681. que simul digito retro Sedem Macarii An-  
 tiocheni stantem ostendit.

Tunc ulterius suffragia Episcoporum  
 Sedi Constantinopolitanæ subjectorum  
 collecta, & Georgius Episcopus Camu-  
 lianensis dixit: *Auguste! Epistolas duas*  
*Agathonis Papæ recipio, consentio, cre-*  
*do, & confiteor duas Voluntates Natu-*  
*rales & duas Operationes.* Plato Cinna-  
 nus, & Theodorus Verissanus eadem  
 confessi sunt, cumque quatuordecim illi  
 Episcopi singulatim fidem suam fuissent  
 professi, omnes reliqui Episcopi ex Dice-  
 cesi Constantinopolitana exclamarunt,  
 eandem sibi stare sententiam, duas se  
 Voluntates & duas Operationes crede-  
 re, & omnes illos, qui unam tantum as-  
 firmarent, anathematizare.

p. 737.

De Theodori Libello deinde redit  
 sermo, ipse surgere & in medio Concilii  
 cum Episcopis & Clericis, quos nomina-  
 verat tanquam opinionem suam sequen-  
 tes, stare jubetur. Omnes, excepto  
 Stephano Macarii Discipulo, eum menti-  
 tum fuisse edixerunt in hunc ferme mo-  
 dum: *Falsum de nobis affirmat. Libel-*  
*lus, quem tradidit, nobis insciis scriptus*  
*est.* Nos *Fidem Orthodoxam confiteri*  
*nullatenus recusamus.* Nihilominus ex-  
 istimarunt Patres, ob Theodori Libellum  
 aliquam suspicionem in eos cadere, a qua  
 ut

ut se liberarent, in secutura Sessione Fi-  
 dei suæ Confessionem coram Sanctis Ev-  
 angeliis traderent.

Tum vero Georgius Constantinopo-  
 litanus, propius Imperatori admotus di-  
 xit: *Auguste! jube, ut Nomen Vitalia-  
 ni Papæ Diptychis restituatur; deletum  
 enim fuit, post Libellum supplicem nomi-  
 ne Ecclesiæ meæ, Macarii Antiocheni, &  
 Episcoporum, tunc Constantinopoli præ-  
 sentium, tibi traditum, cum Legati Ro-  
 ma missi in via retardarentur. Jube e-  
 tiam ut nobis Libellus reddatur, & illi-  
 co cognosces, quinam cum Ecclesia Catho-  
 lica communicent, aut quinam unius vi-  
 ri causa se separent.* Imperatore an-  
 nuente, exclamavit Concilium: *Pluri-  
 mos annos Constantino Magno Imperato-  
 ri! Imperatori Catholico, Fidei Conser-  
 vatori, Imperatori pacifico, alteri Con-  
 stantino, alteri Theodosio, alteri Marcia-  
 no, alteri Justiniano annos plurimos!  
 longam vitam Agathonis Papæ! Geor-  
 gio Patriarchæ, & Senatui vitam feli-  
 cem & longam!*

Cunctis deinde silentibus Imperator  
 a Concilio rogatus jussit, ut Macarius  
 Antiochenus Fidem suam de Trinitate,  
 Incarnatione & duabus Voluntatibus  
 profiteretur, & mentem suam aperiret,  
 an Epistolas Agathonis Papæ recipiat.  
 Macarius respondit: *Non admitto duas*

p. 748.

Dd 4

Vo-

Sæculum VII *Voluntates, aut duas Operationes, sed u-*  
 A. C. 681. *nam Voluntatem & unam Operationem*  
*Theandricam.* Concilium dixit: *Quia*  
*Macarius non consentit Agathonis Papæ*  
*Epistolis, quas nos omnes recepimus, vi-*  
*detur nobis, præcipiendum esse, ut de Se-*  
*de sua surgat ad rationem reddendam.*  
 Tunc Episcopi quinque, Sedi Antio-  
 chenaë subjecti, scilicet Macrobius Seleu-  
 ciensis in Isauria, Eulalius Zenopolitanus,  
 Constantinus Dalisandinus, & Theodo-  
 rus Olbanensis surrexerunt, dicentes, se  
 Epistolas Agathonis Papæ recipere, at-  
 que duas Voluntates & Operationes  
 credere.

## §. XVII.

*Macarius condemnatur.*

Jussit deinde Imperator, ut Photius  
 Notarius suus tria Volumina Textuum  
 a Macario productorum, quibus erat Si-  
 gillum impressum, afferret, & Macario  
 fatente, inviolatum esse, quæsit Impe-  
 rator, quem in finem hos Textus excer-  
 pisset. *Hi Textus, respondit Macarius,*  
*agunt de unica Voluntate Patris Domi-*  
*ni Nostri Jesu Christi & Spiritus San-*  
*cti.* Quid vero, reposuit Imperator, *de*  
*Incarnatione credis?* Macarius Fidem  
 suam explicare cœpit, cumque de Con-  
 fessione Fidei, quam Imperatori tradide-  
 rat, mentionem faceret, jussit ut ea le-  
 gere-

geretur. Erat admodum longa & in ce-  
 teris Catholica; sed illud disertis verbis  
 affirmabat, Jesum Christum unicam ha-  
 bere Voluntatem Divinam. Inter alios  
 Hæreticos S. Maximum cum Discipulis  
 suis condemnans Manichæum & Ethni-  
 cum appellabat; Doctoribus vero, quo-  
 rum Auctoritatem sequebatur, Honorium  
 Papam pariter ac Sergium & Cyrum ac-  
 censebat. Quamvis igitur ex hac Con-  
 fessione satis exploratum esset, quid cre-  
 deret, nihilominus Imperator & Conci-  
 lium jusserunt, ut Fidem suam etiam vi-  
 va voce explicaret, & quæsierunt, an  
 in Jesu Christo duas Voluntates & duas  
 Operationes confiteretur. Macarius re-  
 spondit: *Non confiteor duas Voluntates  
 aut duas Operationes, etsi scirem, me ideo  
 minutatim concidendum & in mare pro-  
 jiciendum.*

Cum deinde, Imperatore & Concilio  
 jubentibus, Georgius Diaconus ex Biblio-  
 theca Patriarchali Patrum Libros ad con-  
 ferendos Textus a Macario citatos, at-  
 tulisset, Petrus Consul unum Volumen  
 S. Athanasii cum primo Volumine excer-  
 ptorum a Macario, quod Diogenes, Im-  
 peratoris Notarius legendum tradiderat,  
 contulit. Textus primus excerptus erat  
 ex Concilio S. Athanasii contra Apollina-  
 rem, sed Macarius partem ultimam ser-  
 monis omiserat, qua perlecta, contra-

D d 5 rium,

Sæculum VII  
 A. C. 681.

p. 744.

p. 748.

p. 749.

p. 752.

to. 2. p. 940.  
 n. 1. n. 6.

Macarius.

Sæculum VII<sup>ri</sup>um, ac ipse inferebat, apparuit. Imperatori quærenti, cur verba, quæ huic

p. 756.

p. 757.

p. 760.

Anast. in  
Agatho.

Causæ maximum momentum adderent, omisisset? respondit Macarius: *Excipite, quæ ad Propositum meum faciebant.* Idem ad alium Textum truncatum respondit, tumque Concilium exclamavit: *Hæreticum se manifeste profitetur. Anathema alteri Dioscoro! maledictus alter Apollinaris! meretur ab Episcopatu deponi. Privetur Pallio!*

Mox ei Basilius Cretensis Pallium detraxit, atque in medio Conventus cum Stephano Discipulo suo stantem Theophanes Abbas Bayensis interrogavit: *Habuitne IESUS Christus Voluntatem Humanam & impeccabilem?* Illi responderunt: *Nescimus in IESU Christo Voluntatem Humanam, sed confitemur Divinam. Procul Voluntates carnales! procul cogitationes Humanæ! secundum sententiam S. Athanasii, quæ modo lecta est.* Theophanes respondit: *Si hunc locum retulisses integrum, omnibus patuisset, S. Athanasium Voluntates Carnales & cogitationes humanas illas dicere, quæ noxia sunt, quæ delectant, atque a suggestione Dæmonis ortum trabunt. Nec ego ejusmodi cogitationes IESU Christo tribuo, absit! sed solum Voluntatem Naturalem, qualem Deus in Adamo posuerat. Quæro ex vobis, habuitne Adam Animam*  
ratio-

*rationalem?* Responderunt: *Habuit.* Sæculum VII  
 Theophanes: *Habuitne Voluntatem Na-* A. C. 681.  
*turalem?* Stephanus respondit: *Habebat*  
*Voluntatem, qualem libero Arbitrio sibi*  
*elegerat; nam, priusquam peccasset, ha-*  
*bebat Voluntatem Divinam, & cum Deo*  
*volebat.* Domitius Episcopus Prusiade-  
 nus dixit: *Vab! inconditam Blasphem-*  
*miam! si Adam cum Deo volebat, ergo*  
*etiam cum Deo Creator erat?* Adjece-  
 runt Romani: *Si Adam, priusquam pec-*  
*caret, Voluntatem Divinam habuit, ergo*  
*Deo fuit Consubstantialis, & Voluntas*  
*ejus erat immutabilis & vivificans. Quo-*  
*modo ergo mutatus est, & in mortem cor-*  
*rui?* *An ignoras, S. Cyrillum de Jesu*  
*Christo dicere; quia Consubstantialis est,*  
*ideo eandem ac Pater habet Voluntatem;*  
*nam eadem Substantia eandem habet Vo-*  
*luntatem.*

Theophane Macarium & Stephanum  
 urgente, ut Responſionem vel affirmati-  
 vam vel negativam darent ad interroga-  
 tionem, an Adam habuerit Voluntatem  
 Naturalem, & dicente, se id ex Patri-  
 bus demonstraturum, nunquam eo addu-  
 ci potuerunt, ut affirmarent vel nega-  
 rent. Igitur Imperator & Concilium  
 iusserunt, ut Theophanes argumenta  
 produceret, qui citavit Textum S. Atha-  
 nasilii, & alterum S. Augustini, unde Pa-  
 tres illationem deduxerunt: *Si primus*  
*Adam*

Adami Vo-  
luntas natu-  
ralis.

Athan. II.  
cont. Apol. n.  
6. p. 944.  
Aug. 5. cont.  
Adam Jul.

Sæculum VII *Adam Voluntatem Naturalem habuit,*  
A.C. 681. *quomodo possibile sit, ut secundus Adam*  
*Naturalem Voluntatem in sua Natura*  
*Humana non habuerit? Si itaque Volun-*  
*tatem impeccabilem in sua Natura Hu-*  
*mana assumpsit, & ante Sæcula cum Pa-*  
*tre & Sancto Spiritu unam Voluntatem*  
*Divinam habuit, liquet, duas in eo Vo-*  
*luntates nos confiteri oportere.*

Tum reliqui Textus a Macario cita-  
 ti, collati sunt, & præsertim tres ad ex-  
 amen vocati, unus S. Ambrosii, alter ex  
 Libro de Divinis Nominibus, cujus Au-  
 ctor Dionysius esse credebatur, & ter-  
 tius S. Chrysostomi, qui in Actis Con-  
 cilio ita nominatur. Hos quoque tres  
 Textus corruptos fuisse, demonstratum  
 est. Reliqua Imperator in sequentem  
 Sessionem distulit.

## §. XVIII.

*Sessio Nona.*

*Sessio nona altero die, octavo Martii,*  
*celebrata. Macarius Antiochenus*  
*abfuit, atque exinde nec ipse nec quis-*  
*quam alius, ejus Sedis nomine usque ad*  
*Sessionem decimam quartam Concilio*  
*interfuit. Tum Constantinus Diaconus,*  
*& Notariorum Patriarchæ Constantino-*  
*politani Primicerius monuit, quatuor E-*  
*piscopos, scilicet, Petrum Nicomedien-*  
*sem, Salomonem Claniensem, Antonium*  
 Hype-

Hypepiensem, & Theodorum Melitenensem petere, ut admitterentur cum septem Clericis, quorum ultimus erat Stephanus Monachus Macarii Discipulus. Hi nempe, tanquam Hæresis suspecti, e Concilio exclusi fuerant; quibus iterum admissis, illi, quibus mandatum erat, examen Textuum a Macario productorum profecuti sunt. Ubi ventum est ad illum locum S. Athanasii in Verba Jesu Christi: *Pater mi! si possibile est, transeat a me Calix iste*; in quem S. Athanasius dicit: *hic duas prodit Voluntates, unam humanam, quæ est voluntas carnis, & alteram Divinam*, Basilus Episcopus Gortynensis dixit: *Adverte, Princeps! tantum abest, ut unam Voluntatem probaverint, ut magis ex hoc loco duas Voluntates evidenter demonstraverint.* Stephanus Monachus respondit: *S. Gregorius Theologus clarissime docet unam Jesu Christi Voluntatem, dum dicit: Velle ejus non erat contrarium Deo, cum Voluntas ejus facta fuerit Divina.* Basilus respondit: *Edic nobis! quæ Voluntas in Jesu Christo evasit Divina? Divina, vel Humana? Si respondes: Divina. Atqui, quod Divinum est, non opus est, ut Divinum fiat. Si respondes: Humana. Ergo dantur duæ Voluntates, quod tu ipse ex hoc Textu etiam nollens demonstras.* Domitius Prusiadenus dixit:

Sæculum VII  
A.C. 681.

p. 776.

Matt. 26. 39.

Athan. de Incar. to. 1. p. 887. edit. 1698.

Ste. Orat. 2. Theol.

Sæculum VII  
A. C. 681.  
dixit: *Peto, ut Georgius Monachus Ste-*  
*phani Condiscipulus super Doctrina Ste-*  
*phani interrogetur. Is interrogatus re-*  
*spondit: Nunquam non Patrum Doctri-*  
*nam impugnat, infensus eorum hostis.*

*in Matth.*  
*Serm. 12.*

*p. 777.*

*p. 780.*

*Anast. in*  
*Agath.*

*Stephanus*  
*ejicitur.*

Tum iterum aliquo S. Cyrilli Textu  
examinato, quem corruptum deprehen-  
derunt, dixerunt Patres ad Stephanum  
conversi, *Non modo tu & Magister tuus*  
*Macarius ex hoc Volumine, quod produ-*  
*xistis, unicam Jesu Christi Voluntatem*  
*nullatenus non probastis, sed etiam in eo*  
*invenimus, S. Athanasium duas Voluntates*  
*clarissime docere, quamvis more solito*  
*Textus ejus depravassetis & corrupissetis.*  
*Itaque quia Doctrinam Patrum per-*  
*vertisse, & Opinionem Hæreticorum te-*  
*nuisse convinceris, te omni Dignitate*  
*& Munere Sacerdotali esse privatum pro-*  
*nunciamus. Quod spectat ad Episcopos*  
*& Clericos hic præsentis, quos erroris*  
*pænitentia subiit, atque nobiscum Fi-*  
*dem Orthodoxam confessi sunt, jubemus,*  
*ut ad Sedes suas quidem redeant, sed*  
*in proxima Sessione Confessionem Fidei*  
*sua scriptam tradant.*

Hic Concilium exclamare: *Vitam*  
*longam Imperatori! Ejicite Hæreticum!*  
*Anathema alteri Eutychi! Anathema al-*  
*teri Apollinari! ejicite Hæreticum! His*  
*ejicitur Stephanus Monachus; quippe*  
*eum Clerici Romani injectis manibus e*  
*Conci-*

Concilio extruserunt; Episcopi vero <sup>Sæculum VII</sup> quatuor & sex Clerici suspecti dixerunt, A.C. 681.  
 Confessionem Fidei suæ se tradituros. Inde Concilium proposuit, in proxima Sessione Collectionem Textuum a Romanis productorum esse conferendam, omisso examine duorum aliorum Voluminum a Macario productorum, quod Textus in iis contenti ad rem non pertinerent. Ita Sessio nona finita.

§. XIX.

*Sessio Decima.*

In Sessione decima, post decem dies, nempe decimo Octavo Martii celebrata, duodecim ferme Episcopi, qui advenierant, Patrum numerum auxerunt, & inter alios Philaletus Cæsariensis in Capadocia, Plato Ancyranus in Galatia, Marinus Sardicensis, Justinus Tyaneus, Alypius Gangrensis, & Isidorus Rhodensis. Imperatore jubente Collectio Textuum a Romanis productorum allata, & solutis sigillis Salomon Diaconus & Notarius Patriarchæ Constantinopolitani legere cœpit. Titulus præfixus erat: *Textus Patrum ad demonstrandum, duas Voluntates & duas Operationes in Jesu Christo fuisse.* Primum Testimonium desumptum est ex Epistola S. Leonis ad Leonem Imperatorem data, atque cum Exemplo originali ex Thesauro Eccle-

p. 785.

Sæculum VII Ecclesiæ Constantinopolitanæ producto,  
A. C. 681. in pergameno scripto, compactura ar-  
*ep. 134. al. 97.* gentea, collatum. Deinde Textus S. Am-  
 brosii cum Libro Chartaceo, antiquissi-  
 mo ex Bibliotheca Patriarchali producto  
 examinatus; unde exploratum fit,  
 S. Ambrosii Libros illa ætate jam diu in  
 Græcum sermonem fuisse translatos.  
*L. II. ad* Tertius quoque locus, quem attulerunt  
*Grat. p. 788.* Romani, S. Ambrosii fuit, & cum Libro  
 Latino a Romanis oblato, Constantino  
 Presbytero, Ecclesiæ Constantinopolita-  
 næ Defensore, & Grammatico Latino  
 interpretante, collatus. Porro omnes  
 Textus in Collectione Romanorum con-  
 tenti cum Libris Bibliothecæ Patriarcha-  
 lis Constantinopolitanæ collati locis Au-  
 thenticis prorsus consentanei inventi  
 sunt. Attulerant autem Romani Tex-  
 tus triginta novem ex Patribus tredecim  
 excerptos, scilicet ex S. Leone, S. Am-  
 brosio, S. Joanne Chrysofomo, S. Atha-  
 nasio, S. Gregorio Nyffeno, S. Cyrillo A-  
 lexandrino, S. Epiphano, S. Gregorio  
 Nazianzeno, S. Augustino, S. Justino Mar-  
 tyre, S. Ephrem, & S. Anastasio ambobus  
*p. 828.* Patriarchis Antiochenis, & Joanne Scy-  
 thopolitano. Aliqua Testimonia etiam  
*p. 829.* ex scriptis Justiniani Imperatoris addu-  
 cta. Cum S. Ephrem & S. Anastasius es-  
 sent ceteris recentiores, Concilii Patres  
 testimonium reddiderunt, quod de eo-  
 rum

rum Auctoritate & Sanctitate satis om-  
nibus constaret. Sæculum VII  
A.C. 681.

Patrum Testimoniis examinatis, etiam ex eadem Collectione collati sunt Textus Hæreticorum illorum, qui in Jesu Christo unicum Voluntatem & unicum Operationem affirmabant. Erant vero Textus quindecim, diversorum Auctorum, Themistii, Anthimi, Severi, Pauli, Theodosii, & Theodori, qui omnes Textus tam Patrum quam Hæreticorum in Actis Concilii integre referuntur. Id quoque Legati Pontificii obtinuerunt, ut aliquis Apollinaris locus, in ipsorum Collectione omissus, & in quo unica Operatio affirmabatur, Actis infereretur.

p. 841.

Episcopi deinde quatuor, & sex Clerici suspecti, datis Libellis, in quibus Fidem suam confitebantur, super sancta Evangelia jurarunt; erantque Libelli omnes Confessioni Petri Episcopi Nicomediensis, Bithyniæ Metropolitanæ consentanei, qui lectus fuit, & Actis insertus.

Tandem Georgius Legatus Jerosolymitanus petiit, ut S. Sophronii Epistola ad Sergium legeretur, quod ad proximam Sessionem dilatum.

§. XX.

*Sessio Undecima.*

Sessioni undecimæ, elapso biduo, id est vigesimo Martii, anno 681. plures  
*Hist. Eccles. Tom. IX.*      *Ee*      *quam*

**Sæculum VII** quam huc usque Episcopi, numero cir-  
**A. C. 681.** citer triginta, interfuere. Perlecta S. So-  


---

**p. 152.** phronii Patriarchæ Jerosolymitani Epi-  
 stola, ad Sergium Patriarcham Constanti-  
 nopolitanum data, Agathonis Papæ Ora-  
 tores dixerunt: *Scimus, in domo Maca-*  
**Sup. Lib.** *rii & Stephani ejus Discipuli codices*  
**XXXVIII.** *S. 6.* *Hæreticorum erroribus consentaneos fuis-*  
**p. 900.** *se repertos, iisdem fuisse ademptos, &*  
*jam in Tbesauro Tabularum bujus Sedis*  
*Patriarchalis asservari. Petimus, ut*  
*afferantur.* Georgio Chartarum Cu-  
 stode fatente, hos Codices ibi esse, jus-  
 sit Imperator, ut afferrentur. Duo e-  
 rant Volumina & unus Codex Charta-  
**p. 901.** ceus. Georgius interrogatus, an Maca-  
 rium haberent Auctorem. Respondit:  
*Inventa sunt cum diversis aliis libris in*  
*Palatio Philippi & in conclavi ad Mono-*  
*sterium Chrysolopolitanum pertinente. Sunt*  
*Stephani Abbatis manu exarata, & ex*  
*Titulo apparet, esse Macarii & Stephani*  
*opera.* Primo lectus est codex, qui ti-  
 tulum inscriptum habebat: *Exemplum*  
*descriptum Libelli a Macario Patriar-*  
*cha Antiocheno Imperatori oblato.* Im-  
 perator & Concilium dixerunt: *Novi-*  
*mus, quid contineat. Legatur unum Vo-*  
*lumen.* Huic Titulus erat præfixus:  
*Dissertatio ad Imperatorem directa.* Ad  
 hæc Theophanes Abbas Bayensis dixit:  
*Hujusmodi Dissertatio in Senatu traden-*  
 da

da & legenda fuit; at Macario visum, Sæculum VII  
 eam ante omnia in descriptis exemplis in A. C. 681.  
 Sardiniam, Romam, & in alia loca mit-  
 tere, quo facto in Leges Ecclesiæ peccavit.  
 Imperator dixit: Non meminimus, nos  
 ejusmodi Dissertationes a Macario acce-  
 pisse, sed solum quosdam codices, quos nec-  
 dum legimus, & vobis trademus; nam o-  
 pus est, ut Concilium hæc sciat. Lecta  
 igitur est Dissertatio, erroribus scatens,  
 in qua clarissime una Voluntas & una O-  
 peratio docebatur. Volumini secundo p. 904.  
 Titulus erat præpositus: *Dissertatio a*  
*Macario missa ad Lucam Presbyterum &*  
*Monachum ex Africa.* Is de nova Hæ-  
 resi Maximianorum, id est, de Doctrina  
 Catholica, a S. Maximo defensa, librum  
 ediderat. Concilii Patres, audita una  
 hujus Dissertationis parte, videntes, ni-  
 hil aliud afferri, quam Refutationem Syl-  
 logistice secundum methodum Aristote-  
 licam concinnatam, Conciliis, & Patri-  
 bus adversantem, legentem interpella-  
 runt, jusseruntque cessare. In eodem  
 Volumine inventa est tertia Macarii Dis-  
 sertatio, cujus lectio quidem cœpta, sed  
 jubente Concilio non est finita. Id so-  
 lum præceperunt Patres, ut ex his qua-  
 tuor Macarii Scriptis aliqui Textus opi-  
 nionibus Hæreticorum consentanei a Ro-  
 manis producti exciperentur, qui invi-  
 cem collati Actis Concilii inserti sunt.

Sæculum VII

A. C. 681.

p. 908.

Sub finem hujus Sessionis Imperator dixit: *Quia nos negotiis ad Rempubli- cam pertinentibus distinemur, volumus, ut Constantinus & Anastasius Patricii, Polyeuctes & Petrus Consulares, nostro nomine Concilio intersint; cum jam plurima hujus Cause, & præcipua, nobis præsentibus acta sint.*

§. XXI.

*Sessio Duodecima.*

*Sessio duodecima elapso biduo nempe vigesimo secundo Martii celebrata. Imperatore absente, Sedes tamen posita erat, & quatuor Magistratus, ut jussi fuerant, ex utroque latere sedebant. Epis-*  
*Mense Mart.* *copi circiter octoginta, nam in dies eorum crescebat numerus, aderant, sed nemo nomine Sedis Antiochenæ præfens fuit.*

p. 911.

Constantinus Notariorum Patriarchæ Constantinopolitani Primicerius dixit: *Scitis, in ultima Sessione Imperatorem dixisse, sibi a Macario oblatos fuisse codices, necdum lectos, quos vobis missurus esset. Joannes Patricius & Quæstor, quosdam codices ferens, ad fores stat. Priusquam vero admitteretur, jubente Concilio Acta præcedentis Sessionis pro more lecta. Joannes deinde duas Chartas & duos Libros tradidit, munitos cera, & Sigillo, cui Imperatoris Monogramma*  
 im.

impressum. Postquam his traditis Constantinus recessisset, jubente Concilio, quæ attulerat, lecta sunt.

Inter cetera inventum est descriptum exemplum Epistolæ Sergii Patriarchæ Constantinopolitani ad Cyrum, tunc Episcopum Phasidis, datæ, & a me suo loco relatæ. Item confictæ Dissertationes Mennæ ad Vigilium, & Vigilii ad Justinianum & Theodoram, quas Patres in hoc Concilio rursus rejecerunt. Lecta deinde est Epistola Sergii ad Honorium Papam, & Honorii Responsum. Ut verò hæc omnia cum Autographis conferrentur, Concilium Georgium Tabularum Custodem jussit Catalogos & alia opera originalia in Thesauro Tabularum Patriarchalis Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservata afferre, & interim Notarios, qui Acta conscribebant, atque Episcopos tres, scilicet Joannem Regiensem, Georgium Cyzicenum, & Domitium Prusidenum misit ad Macarium, ut ediceret, an sua essent hæc opera. Iverunt igitur tres Episcopi cum Paulo & Joanne, Imperatoris Notariis, & Agathone Lectore Patriarchæ Constantinopolitani Notario. Ad locum Concilii deinde reversi dixerunt: *Accepto Mandato Vestræ Amplitudinis & Concilii, ivimus ad Domum Patriarchalem, & cubiculum, in quo Macarius est, ingressi, eundem interrogavi-*

E e 3

mus,

Sæculum VII  
A. C. 681.

p. 913.

p. 916.

Sup. Lib.  
XXXVII.

§. 41.

p. 917.

Sup. Lib.  
XXXVII.

§. 43-44.

p. 928.

p. 933.

p. 936.

Sæculum VII *mus, an ipsius essent hæc opera. Ille acce-*  
 A. C. 681. *pit, aperuit, examinavit, dixitque: Mea*  
*sunt procul omni dubio, mea sunt. O-*  
*stendimus quoque tria Volumina & char-*  
*tam, quæ hodie lecta sunt. His etiam*  
*examinatis dixit: Mea sunt, agnosco.*  
*Hæc anno superiore Imperatori tradidi.*

Honorii Re-  
sponsum  
examinatur.

Tum Georgius Tabularum Custos  
 reverfus Libros attulit, & Catalogos,  
 quos in Thesauro invenire potuerat. An-  
 tiochus autem Lector accepit Catalo-  
 gum variarum Epistolarum, atque Episto-  
 lam Sergii ad Cyrum examinans, eam li-  
 bro Macarii consentaneam invenit. Epi-  
 stola Sergii quoque ad Honorium Papam  
 examinata. Tumque Georgius Respon-  
 sum Authenticum Honorii latino sermo-  
 ne, & versionem Græcam exhibuit, quod  
 cum Joannes Episcopus Portuensis, Le-  
 gatorum Romanorum unus, contulisset,  
 omnia sibi consentanea inventa sunt.  
 p. 937. Magistratibus interrogantibus, quid Con-  
 cilium de his Epistolis sentiret, respon-  
 sum, Patres hac de re in proxima Sessione  
 mentem suam edituros.

His actis Magistratus nomine Impe-  
 ratoris quæsierunt, an Macarius, si sin-  
 ceræ pœnitentiæ signa daret, in Sedem  
 suam restitui posset. Tum Patres bre-  
 viter Macarii criminibus, motibus sedi-  
 tiosis, Patrum depravationibus, ejusdem  
 in errore contumacia memoratis, edixe-  
 runt,

runt, eum nunquam amplius Episcopum Sæculum VII  
A. C. 681.  
haberi posse, sed econtra rogare cœpe-  
runt, ut eundem Imperator cum Secta-  
toribus suis ex urbe Constantinopoli-  
tana proscriberet. Tunc Episcopi & Cle-  
rici Sedi Antiochenæ subjecti, propius  
Magistratibus admoti, dixerunt: *Roga-  
mus, ut vobis intercedentibus, Imperator  
alium nobis pro Macario Archiepiscopum  
det, ne Sedes Antiochena vacet.* Idque  
Magistratus se facturos receperunt.

## §. XXXII.

*Sessio decima tertia. Honorius  
condemnatur.*

Sessio decima tertia, postquam sex dies  
effluxissent, nempe vigesimo octavo  
Martii, habita, cui nomine Sedis Antio-  
chenæ nemo interfuit. Concilium Sen-  
tentiam, quam se prolaturum promise-  
rat, pronunciavit in hunc modum: *Epi-  
stolis, quæ perperam dogmaticæ dicuntur,  
Sergii Constantinopolitani ad Cyrum, &  
Responsis Honorii ad Sergium examinatis,  
cum ea a Doctrina Apostolorum, Concilio-  
rum, & omnium Patrum aliena, & econ-  
tra perversæ Hæreticorum Doctrinæ con-  
sentanea invenerimus, eadem penitus reji-  
cimus, atque tanquam venenum ad animas  
insidiendas aptum detestamur. Porro im-  
pium eorum Dogma damnantes, nomina*  
Ee 4 p. 944.  
quo-

Sæculum VII quoque ipsorum ex Ecclesia proscribenda  
 A. C. 681. existimamus, nempe Sergii, olim hujus Ci-  
 vitatis Constantinopolitane Episcopi, qui  
 errorem Cyri Alexandrini scripto tueri  
 cepit, Pirrbi, Pauli, & Petri, etiam Epit-  
 copi Constantinopolitani, Theodori Episco-  
 pi Pharanitæ, quos omnes Agatho Papa in  
 Epistola sua ad Imperatorem memoravit,  
 & rejecit. Hos omnes Anathemate per-  
 cussos declaramus. Unacum ipsis Ecclesia  
 ejiciendum, & anathematizandum esse Ho-  
 norium, olim antiquæ Romæ Papam, exi-  
 stimamus, quia ex ejus ad Sergium Epi-  
 stola cognovimus, quod omnino ejus erro-  
 rem sequatur, & Doctrinam impiam sua  
 Auctoritate firmet. (\*) Epistolam que

(\*) Eminentissimus Baronius existimat, Syno-  
 di Acta in hac parte Theodori Episcopi Con-  
 stantinopolitani Monothelitæ fraude fuisse cor-  
 rupta, & loco Theodori oblitterati & abradi no-  
 men Honorii repositum. Verum, quamvis fraudem  
 Græcorum suspicandi causæ non sint nullæ, hæc  
 opinioni opponunt alii, inter quos Cabassutius,  
 quod dolus non nisi in Exemplar, quod Constans-  
 tinopoli asservabatur, non vero in alia ad Ecclesias  
 Patriarchales, præsertim Romanam, missa potuisset  
 irrepere. Obstat quoque S. Leonis II. Epistola  
 qui scribens ad Constantinum Imp. dicit: *Ana-*  
*thematizamus novi Erroris inventores, Theodo-*  
*rum Pharanitanum &c. nec non & Honorium, qui*  
*hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Tra-*  
*ditionis*

que Synodicam Sopbronii felicitis memoriae, Sæculum VII  
olim Episcopi Jerosolymitani, ad examen A. C. 681.  
 vocavimus, quam veræ Fidei, Doctrinæ  
 Apostolorum & Patrum invenimus con-  
 sentaneam, tanquam Ecclesiæ utilem rece-  
 pimus, jussimusque, ut Nomen ejus in Di-  
 ptycha referretur.

p. 945.

Magistratus deinde petierunt, ut Ta-  
 bularum Custos omnes Codices, in The-  
 sauro asservatos, & a viris modo damna-  
 tis conscriptos produceret. Tum sub-  
 junxerunt. *Quod spectat ad petitionem*  
*Episcoporum & Clericorum Provinciæ*  
*Antiochenæ, ut ibi Episcopus ordinetur;*  
*eorum vota ad Imperatorem detulimus,*

E e 5 qui

ditionis Doctrina illustravit, sed profana Tra-  
 ditione immaculatam maculari permisit. Ni-  
 hilominus communi Scriptorum consensu Hono-  
 rii vel error vel negligentia excusatur. Nam  
 præter illa, quæ in Notis meis ad hunc Pontifi-  
 cem dicta sunt, si verba Concilii bene pensentur,  
 potius tanquam Monothelitarum Fautor, quam  
 tanquam Hæreticus damnatus videtur; si tamen  
 damnari potuit Pontifex Romanus, jam in pace  
 Ecclesiæ defunctus, a S. Maximo strenue defen-  
 sus, inauditus, a tota Ecclesia Orthodoxus ha-  
 bitus, &, si errasset, monitus verisimiliter erro-  
 rem retractaturus, denique ex cujus Epistola  
 Responsorialia ad Sergium nihil aliud demonstra-  
 ri posse videtur, quam ipsum credidisse, ad con-  
 servandam Ecclesiæ Pacem a quibusdam vocibus  
 esse abstinendum.

Sæculum VII *qui iussit, ut pro more Decretum Electio-*  
 A. C. 681. *nis conscriptum sibi tradant.* Id etiam ef-  
*Anast. in* fectui datum; nam antequam solvere-  
*Agath. 1057.* tur Concilium, Theophanes Abbas Ba-  
 jensis in Sicilia, qui Fidei causam contra  
 Macarium in Sessione octava strenue ege-  
 rat, Episcopus Antiochenus ordinatus est,  
 quod ex Subscriptionibus apparet.

p. 948.  
*Sup. Lib.*  
 XXXVII.  
 §. 41.

p. 952.

*Sup. ibid.*  
 §. 42.  
 p. 957.  
 p. 960.

p. 961.

Georgius Tabulis Præfectus, allatis,  
 ut imperatum fuerat, codicibus, primo  
 Epistolam Cyri, cum adhuc esset Episco-  
 pus in Phaside, ad Sergium Constanti-  
 nopolitanum ante annos quinquaginta  
 sex, Indictione decima quarta, nempe  
 anno 626. datam exhibuit, quæ statim le-  
 cta est. Deinde lecta est Epistola ejus-  
 dem Cyri, jam Patriarchæ Alexandrini,  
 ad Sergium, de Reconciliatione Theodo-  
 sianorum cum novem potissimis hujus  
 Reconciliationis Articulis, quibus Mono-  
 thelitarum Hæresis primum accensa est.  
 Rursus, lecti sunt aliqui Textus ex Dissen-  
 satione Theodori Pharanitæ ad Sergium  
 Arsinoensem. Item Textus Dissertatio-  
 nis Dogmaticæ Pirrhi Constantinopolita-  
 ni. Præterea ex quodam indice lectus  
 est Textus Epistolæ Pauli Constantinopo-  
 litani ad Theodorum Papam, & ex alio  
 Epistola Petri Constantinopolitani ad Vi-  
 talianum Papam data. Cum hæc lege-  
 retur, Legati Pontificii monuerunt, Tex-  
 tus Patrum, ibi citatos, fuisse corruptos;  
 hinc

hinc dimissa est hæc lectio. Subjunxerunt Patres: *Ex his, quæ perlecta fuere, perspicitis, Pirrbum, Paulum, & Petrum, Theodorum & Cyrum unam in Jesu Christo Operationem, & unam Voluntatem affirmasse, ideoque ab Agathone Papa non sine causa fuisse rejectos. Hinc eorum nomina e Diptychis esse eradenda, ipsos Anathemate percutiendos, & eorundem Scripta suppressenda decernimus.*

Sæculum VII  
A. C. 681.

p. 964.

§. XXIII.

*Patriarcharum Constantinopolitanorum Epistolæ.*

**M**agistratus dixerunt: *Si forte Petri Episcopi Constantinopolitani Successores, scilicet Thomas, Joannes, & Constantinus Epistolas vel Dissertationes de novo Errore scripserunt; item Libellos, si quos forte ab Episcopis aut aliis circa eundem Errorem sibi offerri petierunt, Georgius, Tabularum Custos, afferat. Tabularum Custos dixit: Hic est Commentarius, qui complectitur Exempla descripta Epistolarum Synodaliæ Thomæ, Joannis, & Constantini, & Epistolam Originalem Synodalem Thomæ adhuc Sigillo clausam ad Vitalianum Papam; quippe mitti non potuit, incursionibus Saracenorum, ut scitis, duobus, quibus sedit annis, nunquam cessantibus. Istæ Musul-*

S. Niceph.  
h. st. p. 22. Et  
ibi Peta.

manno-

Sæculum VII A. C. 681. manorum incursiones annis septem, ab anno vigesimo sexto Constantis Imperatoris usque ad annum quintum Filii eius Constantini, id est, ab anno 666. usque ad annum 673. tenuerunt, quibus Mulsulmanni valida classe Constantinopolim aggressi a mense Aprili usque ad Septembrem quotidie obsessos laceffebant, atque militibus Cyzicum in hyberna dimissis, anno sequente prælia restabant. Sed tandem attritis viribus recesserunt. Multæ illorum naves concremata igne Græcanico, illo tempore invento, qui sub aquis ferventius ardet. Hi septem anni integrum Thomæ Patriarchæ Pontificatum complectuntur, cum ab anno 668. usque ad annum 671. sederit.

Ergo Agatho Lector acceptam Epistolam originalem Thomæ, ablata Bulla, id est, Sigillo, legit, atque exemplar ex dicto Commentario huic consentaneum inventum est. Lectæ ex eodem Commentario Epistolæ Synodales Patriarcharum Joannis, & Constantini ad Macarium Antiochenum, cumque Concilium nihil in iis Fidei adversum deprehendisset, petiit a Tabularum Custode, ut interposita juramenti fide ediceret, se, omnibus diligenter excussis, nescire, quemquam his tribus Patriarchis tradidisse Libellos, in quibus unica JESU Christi Voluntas & unica

*Conc. p. 965.  
V. Combef.  
pro Act. 6.  
Syn. c. 2. §. 5.*

unica operatio doceretur. Itaque Con-  
cilium declaravit, trium Patriarcharum  
Thomæ, Joannis, & Constantini memo-  
riam inviolatam relinqui oportere, & eo-  
rum nomina in Diptycha reponi. De  
Theodoro Constantini Successore nulla  
mentio; quia in vivis agebat, & si qua in  
eum caderet suspicio, advocari, & præ-  
sens audiri poterat. Hinc credibile est,  
quod Concilii Decretis se submittere non  
detrectaverit.

Inde jussus est Georgius producere  
Libellos, quos se invenisse dicebat, a di-  
versis Sergio, Pirrho, Paulo & Petro ob-  
latos, ut supprimerentur. Eos igitur  
attulit, atque præterea aliam Epistolam  
Honorii Papæ ad Sergium, & librum, in  
quo una epistola Pirrhi ad Joannem Pa-  
pam continebatur. Honorii epistola erat  
latina cum versione græca, & in eum mo-  
dum, ut eam retuli, lecta est. Tum Pir-  
rhi epistola, & aliis, quas Georgius exhi-  
buerat, etiam perlectis, Concilium pro-  
nunciavit, omnes ad eandem impieta-  
tem docendam collineare, jussitque illico  
flammis tradi; quod factum est. (\*)

## §. XXIV.

(\*) An id, quantum spectat ad Epistolam Ho-  
norii, jure factum, ex Notis superioribus lector  
judicet.

Sæculum VII  
A. C. 681.

p. 968.  
Sup. Lib.  
XXXVIII.  
§. 7.

Sæculum VII  
A. C. 681.

§. XXIV.

*Sessio XIV. Scripta conferuntur.*

5. *Aprilis.* In Sessione decima quarta, quinto die Aprilis celebrata, primo occurrit Theophanes pro Macario Patriarcha Antiochenus Neo-electus; unde dispicitur, ipsum post ultimam Sessionem, verisimiliter trigesimo primo Martii, qui hoc anno 681. erat dies Dominicus, fuisse ordinatum. In ea igitur Sessione depravationes Concilii quinti ante omnia examinatae sunt, quæ jam in Sessione tertia collatae fuerant. Georgius, Tabularum Custos, productis duobus voluminibus Concilii quinti cum codice in pergameno scripto, nempe Sessionis septimæ Authographo, juramento affirmavit, eadem esse, quæ in priore Sessione prodixisset. Item volumen Chartaceum ejusdem Concilii, quod postea in Bibliotheca Patriarchali invenerat, exhibuit.

Quidam ex Episcopis surgentes, acceptis his Voluminibus, Textibus suspectis examinatis & cum Volumine Chartaceo modo exhibito, aliisque antiquis exemplaribus chartaceis quinti Concilii collatis dixerunt: *Duo Volumina in pergameno scripta, & Volumen Chartaceum septimæ Sessionis sibi invicem esse consentanea, sed additam fuisse Dissertationem Menneæ ad Vigilium, item epistolas Vigilii ad*

p. 980.

ad Justinianum & Theodoram, invenimus, Sæculum VII  
A. C. 681.  
 quæ tempore Concilii quinti nec composi-  
 ta nec scriptæ fuere; nam primo volumi-  
 ni tres inserti fuerunt codiculi, qui com-  
 mentitiam Mennæ Dissertationem conti-  
 nent, & in secundo Volumine Sessione se-  
 ptima decimus quintus codiculus mutatus  
 fuit, rursusque quatuor codiculi adjecti  
 ante decimam sextam, ubi confictæ Dissert-  
 ationes Vigilii ad Justinianum & ad  
 Theodoram leguntur. Ceterum duo hi  
 codiculi nullo signo muniti sunt. Judica-  
 mus, bas Dissertationes sub nomine horum  
 Virorum mala fide fuisse fabricatas con-  
 tra Doctrinam Catholicam, cum nec in an-  
 tiquis Exemplaribus integris, quæ exhibi-  
 ta fuerunt, nec in eo, quod modo ex Bi-  
 bliotheca Patriarchali allatum, invenian-  
 tur. Itaque decernimus, ut codiculus  
 Chartaceus & duo Volumina expungan-  
 tur & deleantur in locis depravatis, Cor-  
 ruptores autem & Dissertationes supposi-  
 titiæ anathematizentur.

Macrobius Episcopus Seleuciensis in  
 Isauria dixit: Manifesto, quod habeam Li-  
 brum quinti Concilii, mibi a Pbilippo Mi-  
 litia Magistro datum, quem cum legerem,  
 in septima Sessione corruptum inveni. In-  
 terrogavi Pbilippum, an non eum aliquan-  
 do cuiquam dedisset; responditque, Ste-  
 phano Monacho Macarii Discipulo. Ce-  
 terum manus in locis peruersis certissime  
 est

**Sæculum VII** *est Monachi Georgii, qui etiam cum Ma-*  
**A. C. 681.** *cario erat; nam ipsius domum, cum meus*  
*esset Patriarcha, frequentans, Georgium*  
*Monachum sæpe scribentem vidi, & certo*  
*scio, esse ipsius scripturam. Peto, ut in-*  
*terrogetur. Georgius Monachus voca-*  
*tur, & in medio Concilii sistitur. Tum*  
*libro, quem Macrobius Episcopus exhi-*  
*buerat, inspecto, dicit: idem ipse est, qui*  
*pertinebat ad Philippum, nam vicinus erat*  
*Patris Stephani, cum Macario Hæretico*  
**Epistolæ cor-** *damnati. Quando Theodorus tunc bu-*  
**ruptæ.** *jus Civitatis Episcopus de Fide cum Ma-*  
*cario disputabat, Macarius & Stephanus*  
*(penes ipsos sit fides) ex Palatio Patriar-*  
*chali exempla descripta epistolarum Vigi-*  
*lii produxerunt, quæ a nobis his codiculis*  
*inserta Imperatori tradiderunt. Exi-*  
*de crescente audacia omnibus ad se diver-*  
*santibus ea monstrabant. Igitur Philip-*  
*pus librum suum Stephano ostendens dixit:*  
*bunc librum quinti Concilii ex Occidente*  
*attuli, vide an sincerus sit. Stephano re-*  
*spondente, aliqua deesse, rogavit Philip-*  
*pus, ut ea suppleri curaret. Stephanus*  
*jussit me hæc describere. Scripsi, eique*  
*dedi. Mea manus est hæc, fateor. Non*  
*solum autem in hoc exemplari conficitur*  
*Vigilii epistolas assuerunt, sed etiam in*  
*omnibus illis, quæ ad eorum manus dece-*  
*nerunt. Unum quoque exemplar recupe-*  
*rarunt latinum, quod a vidua Innocentii*  
*Patri-*

*Patritii sex Solidis aureis se emisse dice-  
bant. Hac vero de re Constantinus Pres-  
byter Ecclesiae Majoris & Grammaticus  
Latinus plene edoctus est.*

Saeculum VII  
A. C. 681.

p. 984.

Constantinus interrogatus dixit: *Paulo Patriarcha sedente, cum Fortunius Episcopus Carthaginensis in hanc Civitatem venisset, & officio Divino in majore Ecclesia interfuturus esset, quaestionem moverunt, quo loco esset collocandus, & an Metropolitae praeposendus vel postponendus. Ut id sciret, Paulus Patriarcha librum quinti Concilii afferri jussit, & ejus locum invenit. Dum liber iste inspicitur, etiam fortuito exemplum latinum hujus Concilii occurrit, quo ex Bibliotheca accepto, Patriarcha ad me: explora, an integrum sit, & cum Volumine Chartaceo, quod Authenticum est, confer. Vidi exemplum latinum aliqua in Sessione septima non habere. Tum Paulus Patriarcha: socium adhibe Sergium Diaconum, qui litteras latinas elegantissime format, & fac, ut quae desunt, adscribat; nempe confictas Vigilii Dissertationes. Has in latinum transtuli, descripsit Sergius, tum Theodorus Scriba, cui prope S. Joannem Phocam officina est, Libro Latino adjunxit. Sergius quoque Diaconus interrogatus, eadem suo testimonio confirmavit.*

Hic Concilium exclamare: *Anathema commentitiae Dissertationi Mennae ad  
Hist. Eccles. Tom. IX. Ff Vigili-*

Sæculum VII *Vigilium!* *Anathema illis, qui eam cu-*  
 A. C. 681. *derunt, aut scripserunt! Anathema scilicet*  
*Sermoni Vigilii ad Justinianum & ad*  
*Theodoram! uno verbo, Anathema illis,*  
 p. 985. *qui Acta quinti Concilii corruperunt!*  
*Anathema illis, qui docuerunt, qui docent,*  
*aut docturi sunt, unicam in Jesu Christo*  
*Voluntatem & unicam Operationem! In*  
*memoria æterna sint quatuor Sancta Con-*  
*cilia! in memoria æterna sit Concilium*  
*quintum! Annos plurimos Constantinum*  
*Imperatori! Fili Dei! dona ei vitam! dona*  
*Victoriam!*

Theodorus Trimithuntinus & ceteri  
 Episcopi ex Cypro petierunt, ut legeretur  
 aliquis Sermo S. Athanasii in illa *Jesu*  
*Joan. 12.27.* *Christi verba: nunc anima mea turbata*  
*Conc. p. 989.* *est.* Atque eo Sermone perlecto per-  
 spererunt Patres, in eo duas Voluntates cla-  
 re probari. Tum Domitius Prusienus  
 Polycronius. *dixit: indicium vobis facio, quemdam*  
*nomine Polycronium, Presbyterum & Mo-*  
*nachum Errores Macarii & Stephani per-*  
*tinaciter defendere, & simplicibus impone-*  
*re. An non videtur vobis, vocandum*  
*esse, ut Fidem suam explicet? Decretum,*  
*ut in futura Sessione vocaretur.*

Tunc aliquanto tempore interruptum  
 est Concilium ob incidentem Solemnita-  
 tem Paschalem, quæ illo anno 681. de-  
 cima quarta Aprilis celebranda erat. Die  
 Dominica octava Paschæ Joannes Episco-  
 pus

pus Portuensis, primus Legatus Occidentis Missam solemniter lingua latina in Ecclesia S. Sophiae, Imperatore & Patriarcha praesentibus cantavit, ubi saepius in Imperatoris laudes latine acclamatum; quippe honorem Occidentis Legatis habitum Concilium populusque ingenti gaudio conspiciebat.

## §. XXV.

*Sessio decima quinta. Polycronius.*

Sessio decima quinta post elapsas tres <sup>26.</sup> Aprilis.

Septimanas vigesimo sexto Aprilis celebrata. Illo die introducitur Polycronius, & Fidem suam aperire jubetur. Respondit: *Fidei meae Confessionem operibus patefaciam. Date mortuum, & rogabo Filium Dei, ut eum resuscitet. Nisi ad vitam redeat, tenetis me, Concilium*

p. 996.

*& Imperator, quod placuerit, de me decernant.* Concilium dixit: *Scire volumus, quam Fidem confessurus sis super mortuum.* Polycronius: *quando eam imposuero, legetis.* Concilium: *protinus habebis mortuum.* *Fidei tuae Confessionem trade.* Tunc Polycronius Chartam e sinu produxit cum Sigillo, cui incisum erat Monogramma Polycronii Confessoris, nempe verisimiliter Episcopi Ctesiphontani, qui sub Decio Martyrium passus fertur. Concilio jubente lecta est Charta, in qua Polycronius sermone ad Imperatorem converso dicebat: *Vidi*

*Martyr. R.*  
17. Febr.

*Boll. tom. 5.*  
*p. 5. v. Til-*  
*lem. to. 5. p.*  
561.

F f 2

multi-

Sæculum VII *multitudinem hominum vestimentis albis,*  
 A. C. 681. *Et in medio eorum Virum, cujus poten-*

p. 997.

*tiam satis explicare nequeo. Is dixit ad me: Constantinus Imperator novam Fidei Confessionem componit. Ito celeriter, & dic ei, ut caveat sibi, ne novam faciat, vel recipiat. Postea cum Heraclea Chrysopolim profectus fuisssem, & circa horam diei septimam in aggere stare, vidi virum candidissima veste, qui dixit ad me: Qui non confitetur unam Voluntatem & unam Operationem Theandricam, non est Christianus. Dixi: id ipsum sapientissimus Imperator Constantinus, nempe unam Voluntatem & unam Operationem Theandricam, anticipato definivit. Respondit ille: optime fecit. Concilio Polycronium interrogante, an hæc ipse sua manu scripsisset, & an eandem chartam mortuo esset impositurus, ipse affirmavit utrumque.*

Magistratus & Patres jusserunt, ut resuscitatio mortui publice fieret, & Palatio egressi ad aream thermarum Zeuxippi sequente frequente populo se conferunt. Mortuus in lecto argento nitente sternitur. Polycronius, Fidei suæ Confessione cadaveri imposita, multa per aliquot horas submissa voce mortuo ad aurem insufurrat, & tandem dicit: *non possum mortuum suscitare.* Tunc populus præsens exclamare: *Anathema Simoni alteri! Anathema Polycronio Sycophanta!*

ta! Magistratus & Patres ad Palatium re-  
 versi Polycronio præceperunt, ut edice-  
 ret, an duas Voluntates & duas Opera-  
 tiones in Jesu Christo confiteretur. Re-  
 spondit: *Confiteor, quæ scripta sunt in*  
*libello, a me vobis tradito, quem super*  
*mortuum imposui. Credo unam Volunta-*  
*tem & unam Operationem Theandricam.*  
*Aliud nihil addo.* Concilium dixit: *Quia*  
*Polycronius in errore usque in senectutem*  
*perseverat, & modo, cum a nobis admone-*  
*retur, voluit tentare Spiritum Sanctum*  
*Libellum blasphemis scatentem composuit,*  
*& impudenter pollicitus fuit, se ad stabi-*  
*liendam Fidem suam mortuum ad vitam*  
*revocaturum, ei jam prius Anathema, de*  
*quo loquitur Sanctus Paulus, diximus, &*  
*nihilominus ad convincendum populum,*  
 quem ipse & conscii ejus seduxerunt, con-  
 sensimus, ut, quod sibi stulte proposuerat,  
 publice attentaret. *Jussimus mortui cor-*  
*pus, illud ipsum, quod petierat, afferr,*  
*eumque apud cadaver diutissime murmu-*  
*rantem sustinuimus, donec, frustra se esse,*  
*edixit. Itaque tanquam impostorem &*  
*hæreticum manifestum omni ordine & of-*  
*ficio Sacerdotali privandum decernimus.*  
 Polycronio in hunc modum deposito,  
 Concilium exclamavit, *Anathema Poly-*  
*cronio Hæretico & Sociis ejus Macario &*  
*Stephano! omnes tres S. Trinitas depo-*  
*suit!*

Sæculum VII  
 A. C. 681.

p. 1000.

Ff 3

§. XXVI.

Sæculum VII  
A. C. 681.

§. XXVI.

*Sessio decima sexta.*

A Sessione decima quinta usque ad decimam sextam menses tres & dimidius effluerunt. Forte ideo tam diu expectatum, ut vacaret Imperatori, quem conclusioni Concilii adesse oportebat.

9. *Augusti.* Tandem hæc Sessio nono Augusti eodem anno 681. habita, majore quam unquam ante Episcoporum frequentia. Theophilus Notariorum Constantinopolitanorum Primicerius dixit: *Indico, quod Constantinus, qui se Presbyterum Ecclesie Apamiensis in Syria dicit, ad fores stet, & intrinitti petat, ut vos aliquid ad præsentem Quæstionem pertinens edoceat.* Ille, admissus, dixit: *Si me audissetis, non accepissemus funestam cladem, quam nobis hoc anno Bulgari attulerunt.* Scilicet Bulgari, effera Natio, illis temporibus superato Danubio, in Thraciam irrumperæ cœperunt, & Constantinus Imperator probrosam pacem, & tributum pendere coactus. At Constantinus Presbyter sermonem profecutus est in hunc modum:

*Theoph. an. II. p. 299.* *Optabam ab initio ad Concilium admitti, vosque exhortari posse ad concordiam, ita ut neutra Pars, nec illa, quæ unam Voluntatem, nec altera, quæ duas Voluntates affirmat, persecutionem pateretur. In hunc finem Theodorum Patricium adve-*  
ram

ram & rogaveram, ut desiderium meum Sæculum VII  
 Concilio aperiret. Nunc vero, si jubetis, A. C. 681.  
 Syriaca lingua scribam, quæ Deus mihi  
 de vera Fide inspiravit, & postea in Græ-  
 cum sermonem vertetur.

Concilium dixit: quia cogitationes  
 tuas græce nobis exposuisti, etiam Fidem  
 in hac lingua expone. Petiit ille sex die-  
 rum moram; quod ei denegatum, quia,  
 non vocatus, audiri ultro petierat. Er-  
 go dixit: confiteor duas Naturas, sicut  
 Calcedone definitum fuit, & duas Proprie-  
 tates. De Operationibus non disputo, si  
 eas tanquam Proprietates admittitis. Sed  
 unicam affirmo Voluntatem de Persona  
 Verbi, id est, de ejus Subsistentia. Ut  
 enim nihil dissimulem, quid vox HYPO- Constanti-  
 STASIS Græce significet, nescio. Lo- nus Hæreti-  
 quor vero de Voluntate Personæ Verbi, cus.  
 etiam post Incarnationem. Nam Pater,  
 Filius, & Spiritus Sanctus unica sunt Vo-  
 luntas: Interrogatus deinde, an illa Conc. pag.  
 unica Voluntas, quam in Jesu Christo 1008.  
 agnoscebat, esset Voluntas Naturæ Di-  
 vinæ vel Naturæ Humanæ, respondit:  
 est Voluntas Divinitatis. Rursusque in-  
 terrogatus, an Natura Humana in Jesu  
 Christo habeat Voluntatem. Respon-  
 dit: Omnino, Voluntatem Naturalem,  
 quam habuit a Nativitate sua usque ad  
 Crucem; & hoc est, quod appello Proprie-  
 tatem. Patres dixerunt: quid igitur  
 Ff 4 tibi

Sæculum VII *tibi vis? an forte Iesus Christus a tem-*  
 A. C. 681. *pore Crucis suæ Naturam Humanam di-*

9. Augusti. *misit? Respondit Constantinus: Volun-*  
*tas Humana cum eo non remansit, sed*  
*cum carne & sanguine. Nunc enim non*  
*amplius bibit, vel manducat, dormit, aut*  
*ambulabat. Porro Patres instabant in*  
*hunc modum: Dixisti, quod Persona*  
*Verbi habeat Voluntatem. Dixisti*  
*deinde, quod ejus Humanitas habeat Vo-*  
*luntatem Naturalem. Quomodo ergo u-*  
*nicam in Iesu Christo Voluntatem con-*  
*fiteris? Respondit: Hanc cum carne &*  
*sanguine dimisit. Tum prementibus*  
*Adversariis compulsus est dicere, Iesum*  
*Christum carnem suam deposuisse. Fas-*  
*fusus etiam est, hanc esse Macarii Antio-*  
*cheni Doctrinam, cui obstinate inhæsit,*  
*dicens, non posse se aliud credere. Hic*  
*Concilium exclamavit: Hæc est Hære-*  
*sis Manichæorum! hic est error Apollin-*  
*aris! Anathema Apollinari, & Doctri-*  
*næ ejus! ejiciatur Manichæus! Ita Con-*  
*stantinus Apamiensis ex Concilio ex-*  
*trusus.*

Tum Georgius Patriarcha Constanti-  
 nopolitanus dixit: *Gratiam ego & ali-*  
*quot Episcopi huic Sedi subjecti a vobis*  
*petimus: Si fieri potest, Personæ in accla-*  
*mationibus nominatim non anathemati-*  
*zantur nempe Sergius, Pirrbus, Paulus &*  
*Petrus. Concilium respondit: Oportet,*  
 ut

ut illi qui legitime rei fuere iudicati, & nostra Sententia ex sacris Diptychis delati, etiam nominatim anathematizentur.

Sæculum VII  
A. C. 681.

Igitur Georgius se plurimorum Sententiæ accedere edixit, & mox omnes in Laudem Imperatoris sæpius acclamarunt. Plurimos annos Agathoni Papæ, Georgio Constantinopolitano, Theophani Antiocheno, Concilio, & Senatui precati, præterea exclamarunt: *Anathema Theodoro Pbaranitano Hæretico! Sergio, Cyro, Anathema! item Anathema Honorio Hæretico, Pirrho, Paulo, & Petro, Macario, Stephano, Polycronio & omnibus Hæreticis!* Tandem Magistratus ex Patribus quæsierunt, an quidquam examinandum de Causa & Quæstione præsentate restaret, qui responderunt, nihil restare, sed se in proxima Sessione cum auxilio Spiritus Sancti Confessionem Fidei concinnaturos.

p. 1009.

Sessio decima septima post unum elapsam mensem, nempe, undecimo Sept. 681. Indictione decima Constantinopoli ineunte, celebrata. Nihil aliud actum, nisi quod inter Patres de Fidei Definitione convenerit, quæ in Sessione sequente iterum publice lecta. Hinc in exemplis Græcis hæc ultima non visitur, nam Græci septendecim solum Sessiones numerant.

Ff 5

§.XXVII.

Sæculum VII  
A. C. 681.

§. XXVII.

*Concilii Finis.*

- p. 1020.* Sessio Concilii ultima, & secundum Latinos decima octava, decimo sexto Septembris habita, Constantino Imperatore, & saltem centum sexaginta Episcopis præsentibus. Lecta Fidei Definitio, in qua Concilium primo declarat, quod quinque Conciliis præcedentibus inhaereat, atque Symbola Nicenum & Constantinopolitanum refert. Tum notat
- p. 1024.* Errorem Auctorum, quos damnat, scilicet Theodori Pharanitæ, Sergii, Pirrhi, Pauli, & Petri Constantinopolitanorum, Honorii Papæ, Cyri Alexandrini, Macarii Antiocheni, & Stephani ipsius Discipuli. Epistolas duas Agathonis Papæ, & ejusdem Concilii tanquam Concilio Calcedonensi, & Doctrinæ S. Leonis & S. Cyrilli consentaneas approbat. Tandem Mysterium Incarnationis explicat, demonstrat, & decedit, in Jesu Christo duas Voluntates Naturales, & duas Operationes Naturales esse. Prohibet, ne quis aliud doceat, adjecta pro Clericis Depositionis, & pro Laicis Anathematis pœna. Tum Signa Legatorum & centum sexaginta quinque Episcoporum apposita visuntur.
- p. 1028.*
- p. 1044.* Concilium, hac Fidei Definitione multis acclamationibus iterum confirmata,

ta, etiam Anathematismos in Hæreticos, non omisso Honorio, repetiit. Tum de more Sermo ad Imperatorem directus lectus est, in quo Patres ejus Pietatem laudant, & quæ in Concilio a se acta fuissent, summam referunt. In eo Agathonem Papam quoque laudant, dicuntque, S. Petrum per os ipsius fuisse locutum. Tandem rogant Imperatorem, ut Decreta Concilii sua Auctoritate, Subscriptione, & Edictis roboret. Subscriptiones ad finem hujus Sermonis etiam visuntur.

Sæculum VII  
A. C. 681.

p. 1048.

Imperator  
subscribit  
Concilio.

p. 1053.

Hoc igitur perlecto Episcopi iterum viva voce Imperatorem rogarunt, ut Fidei Definitioni subscriberet, quod promisit. Sed antequam faceret, ad Concilium detulit, quod Citonatus Archiepiscopus Calaritanus in Sardinia crimine læsæ Reipublicæ accusatus, & absolutus fuisset; hinc rogare se Patres, ut purgatum reciperent, & Fidei Definitioni subscribere sinerent. Postquam igitur Citonatus, & quidam alius Episcopus subscripsissent, Imperator omnium ultimus manum suam apposuit.

p. 1072.

His actis, Concilium rogavit Imperatorem, ut, ad Fidei tutelam, singulis Cathedralibus unum Exemplum Definitionis Fidei manu Cæsarea signatum traderetur, cui petitioni cum annuisset, quinque Exempla descripta, atque

Sæculum VII atque Papæ, & duorum Patriarcharum  
A. C. 681. absentium Legatis, tum Patriarchis Constantinopolitano, & Antiocheno præsentibus data sunt. Scripsit etiam Concilium ad Agathonem Papam Epistolam, in qua dicit inter alia: *Illos, qui a Fide aberrarunt, juxta condemnationem in Litteris tuis contentam condemnavimus.*

p. 1073.

p. 1076.

Nihilominus Patres in sua Sententia Honorium nominant, de quo Papa nullam mentionem fecerat; (\*) at post ejus condemnationem a ceteris non amplius separabatur. Et infra: *Omnia cernes ex Actis, quæ tibi transmittimus.* Tandem rogant Pontificem, ut suis litteris eorum Fidei Definitionem confirmet, id est, consensum suum manifestet. (\*\*) Huic Epistolæ Legati Orientis, & quinquaginta quinque Episcopi subscripserunt. Imperator vero, ut Decreta Concilii effectui darentur, Edictum edidit, in quo iterum Honorius tanquam Hæresis Fautor, & sibi metipsi adversus, nominatur.

(\*) Opportuna est hæc Fleurii Reflexio.

(\*\*) Hæc Concilii Verba argumento sunt, Summi Pontificis esse Concilia Generalia confirmare. Sed ad Fleurii Reflexionem, semper magis Conciliis quam Papæ faventis, nemo attendat; nullum enim est dubium, quin Summi Pontificis consensus Acta in Conciliis Oecumenicis proprie confirmet.

tur. (\*) In eodem Doctrina Catholica Sæculum VII  
 de duabus Voluntatibus prolixè expli- A.C. 681.  
 catur, atque Imperator concludit in p. 1085.  
 hunc modum: *Prohibemus omnibus &*  
*singulis ne de una aut duabus Volunta-*  
*tibus aut Operationibus disputent.* Et  
 infra: *Quicumque præsentem Constitutio-* p. 1097.  
*nem violaverit, si Episcopus, Clericus,*  
*aut Monachus sit, deponatur. Si in Di-*  
*gnitate sit, ea privetur, & Bona Fisco*  
*adscribantur. Si sit homo privatæ sortis*  
*Constantinopoli, & ex omnibus Civita-*  
*tibus nostris ejiciatur.* Hic Sextæ Syno-  
 di Oecumenicæ, Constantinopolitanæ  
 tertiæ, finis fuit.

Non satis fuit Catholicis, nomina  
 eorum, qui condemnati fuerant, e Dip-  
 tychis eradere, sed etiam eorum Ima-  
 gines ex Ecclesiis remotæ, nempe Cyri,  
 Sergii, Pauli, Pirrhi, & Petri. Illi ve-  
 ro, qui in vivis erant, nempe Macarius,  
 Stephanus, Anastasius, Leontius, Poly-  
 cronius & Epiphanius communi omnium  
 nomine Imperatori Libellum obtulerunt,  
 rogantes, ut ad Papam dimitterentur. *Ep. Const.*  
 Id ipsis concessum, & Civitas Romana *tom. 6. Conc.*  
 iisdem locus exilii datus. *p. 1101.*

### §. XXVIII.

(\*) In his Verbis optima continetur Honorii  
 Papæ Apologia, atque satis demonstratur, quod  
 eum Synodus Universalis Hæresis convictum non  
 habuerit.

Sæculum VII  
A. C. 682.

§. XXVIII.

Agathonis Obitus. Leo II. Papa.

Legati Agathonis Papæ, Constantino-  
poli versantes, ipsius nomine ab Im-  
peratore Litteras obtinuerunt, quibus  
aliquid de pecunia, pro Ordinatione Pa-  
pæ dari solita, remittebat, ea tamen ad-  
dita conditione, ut Papa Neo-electus  
non prius ordinaretur, quam Decretum  
Electionis Constantinopolim pro more  
antiquo fuisset delatum, & Imperator  
consensisset. Haud diu post Concilium  
Agatho Papa superstes fuit. Clero Ro-  
mae pecunia. ga † una dimissa, Ecclesiis Apostolorum,  
& S. Mariæ ad Præsepe solidos bis mille  
centum & quadraginta ad alenda lumi-  
naria legavit. Una Ordinatione Pres-  
byteros decem, Diaconos tres & per di-  
versa loca Episcopos octodecim, crea-  
vit; cumque Sedem tenuisset annos duos  
& dimidium, obiit, ad S. Petrum deci-  
mo Januarii, quo die Ecclesia eum inter  
Sanctos colit, sepultus.

*Mart. Rom.*

10. Jan.

*Anast. in Leo.*

S. Agathone defuncto electus est Leo,  
Siculus, Pauli filius, vir Græcis & Lati-  
nis litteris instructus, eloquens, in Sacris  
Scripturis versatus, tantum Ecclesiasti-  
cum callens, in aliis erudiendis diligen-  
tissimus, paupertatis & pauperum aman-  
tissimus. Ejus Ordinatio de more dila-  
ta est, donec consensus Imperatoris af-  
ferre-

ferretur, atque ad tempus Electionis Sæculum VII  
 S. Leonis pertinere creditur Formula, A. C. 682.  
 quæ Roma Constantinopolim mitteba-  
 tur. Interim Legati, qui Concilio in-  
 terfuerant, Romam mense Julio, anno  
 682. Indictione decima pervenerunt, af-  
 ferentes Epistolas Imperatoris, quibus  
 pensiones frumenti a Patrimoniis Eccle-  
 siæ Romanæ ex Sicilia & Calabria exigi  
 solitæ, & alia tributa, Ecclesiam enormi-  
 ter prementia, minuebantur. Hinc non  
 mirum, quod Romæ maximæ lætitiæ si-  
 gnis excepti fuerint. Acta quoque Con-  
 ciliæ attulerunt, & duas ad ea confirmanda  
 Imperatoris Epistolas, unam Leoni Pa-  
 pæ, alteram omnibus Synodis Sacræ Se-  
 di subjectis, id est, Episcopis Occiden-  
 tis, qui litteras ad Principem dederant,  
 scriptam. In Epistola ad Papam Impe-  
 rator de Epistola Agathonis loquitur in  
 hunc modum: *Epistolam ejus publice re-  
 citari jussimus, eaque Sacris Scripturis,  
 Conciliis, & Patribus consentanea inven-  
 ta est; eandem itaque, non secus ac si  
 S. Petrus locutus fuisset, summo gaudio  
 recepimus. Solus Macarius Antiochenus,  
 quod ex Actis dispicias, eam recipere per-  
 tinaciter detrectavit. Is, & in errore  
 socii rogarunt nos, ut ad vos mitteren-  
 tur, quod concessimus; nam hominum i-  
 storum sortem Paterno tuo judicio com-  
 mitti-*

Sæculum VII

A. C. 682.

Ap. Papebr.

Conc. Chr.

p. 106.

ep. Leo. to. 6.

Conc. p. 1113.

Anast. in

Jo. V.

to. 6. Conc.

p. 1100. 1105.

1. not. p. 1244

Sæculum VII *mittimus*. In fine Papam rogat, ut sibi  
A. C. 683. sine mora Legatum mittat.

Tandem cum Sacra Sedes decem  
mensibus vacasset, Leo Papa II. ordina-  
tus est die Dominica, decima nona Octo-  
bris anno 682. a tribus Episcopis Andrea  
Ostiensis, Joanne Portuensis, qui in Con-  
cilio Legatus adfuerat, & Placentino Ve-  
liternensis, quia in Sede Albanensi nullus  
tunc erat Episcopus. Anno sequente  
Constantinopolim misit Constantinum,  
Patrimonio S. Petri in una Regione præ-  
fectum, Subdiaconum, qui Concilio in-  
terfuerat, eique Epistolam ad Imperato-  
rem, septimo Maji, Indictione undecima,  
anno 683. datam, deferendam tradidit.  
In ea, de Actis Concilii loquens, dicit:

S. Leonis II.  
Epistola ad  
Imperatorem

*Hæc, accurate examinata, illis consentanea invenimus, quæ nobis Legati retulerant, & cognovimus, hoc sextum Concilium a Doctrina quinque Conciliorum priorum nec latum unguem discessisse. Gratissimum præterea nobis contigit, accipere Tuæ Pietatis Edictum, quod Concilii Definitioni conjunctum gladius est ad extirpandas Hæreses ex utraque parte acutissimus. Ideo Definitioni Sancti Concilii sexti consentimus, eandem S. Petri Auctoritate confirmamus, & sicut alia quinque Concilia recipimus. Novi Erroris Auctores anathematizamus, scilicet, Theodorum Pbaranitam, Cyrum Alexan-*

p. 1116.

p. 1117.

alexandrinum, Sergium, Pirrbum, Paulum, Sæculum VII  
A.C. 683.  
 & Petrum Constantinopolitanos; Honorium etiam, qui cum hanc Ecclesiam Apostolicam Doctrina Apostolorum illustrare debuisset, prodicione profana fidem pene evertit. (\*) Anathematizamus quoque Macarium, olim Episcopum Antiochenum, Stephanum ejus Discipulum, seu verius Magistrum, Polycronium Impostorem, & omnes ceteros his nibilo meliores. Omnem quidem conatum, hortatu tuo per Epistolam excitati, adhibuimus, ut veritatem eos edoceremus, & ad veram Fidem reduceremus; sed errantium contumacia frangi non potuit.

Macarius alique in Concilio damnati, & Romam relegati, ibi in diversa Monasteria missi sunt. Duobus ex iis Papa suam reddidit Communionem, nempe Anastasio Presbytero, & Leontio Ecclesie Constantinopolitanæ Diacono, qui cum ceteris Romam migrare jussi fuerant, etsi eos Concilium non anathematizasset. Papa eos in Festo Epiphaniæ anno 683. postquam Fidei suæ Confessionem

(\*) Cardinalis Baronius hanc Epistolam dicit esse spuriam, qui legi potest ad annum 682. & 83. Fleurius hic posuit vocem *Trahison* proditio. Melius posuisset *Tradition* Traditio.

Sæculum VII fionem scriptam tradidissent, & Hæreticis Anathema dixissent, ad Communionem recepit.

## §. XXIX.

*Concilium Toletanum Duodecimum.*

Leo Papa accepta sexti Concilii Acta confestim transmisit ad Episcopos Hispaniæ, ubi ante annos duos mutata rerum facies fuerat. Cum Rex Wamba in gravem morbum incidisset, & mentis impotentiam; Archiepiscopus Toletanus de vita periclitantem Pœnitentiæ munivit, & Veste Monastica induit. Ille postea convalescens credidit, cucullum nunquam amplius sibi esse deponendum, & abdicato Regno, Ervigium Regis Chindasvinti Propinquum Successorem pronunciavit. Hæc solemniter presentibus Optimatibus, qui Abdicationi subscripserunt, Die Dominica decima quarta Octobris, Æra 718. id est, anno 680. acta sunt, & Dominica sequente Ervigijs Rex Visigothorum coronatus, qui Wambæ potionem veneno corruptam propinasse dicitur, ut sibi scelere Regnum pararet.

Prima Ervigii cura fuit, Toletum Synodum convocare, quæ duodecima habetur. Aduere Episcopi triginta quinque, præsidente Juliano Toletano cum tribus alijs Metropolitanis, scilicet, Hispanensi, Braaccarensi, & Emeritano. Abbatum

*Epist. 4. ad  
Simpl. p.  
1260.*

*Luc. Tul.  
Lib. 3.*

*Chr. Reg.  
Visig.*

*to. 6. Conc.  
p. 1221.  
Isid. Pa.  
p. 9.*

tum etiam quatuor, & Optimatum quindecim nomina visuntur, atque hoc Concilium, cui nona Januarii initium datum, vigesima quinta ejusdem mensis, regnantis Ervigii primo, Æra 719. seu anno 681. solutum est. Rex præsens Episcopis Libellum tradidit, in quo rogabat, ut sibi Regnum, quod eorum suffragiis accepisset, stabilirent. Petebat, ut Leges contra Judæos latas confirmarent, & illam abrogarent, qua milites fugitivi, vel qui militare detrectassent, quacunque Dignitate privari jubebantur.

In hoc Concilio Canones tredecim conditi. In primo dicunt Patres: *Evidenter & ex litteris cognoscimus, quæ ratione Serenissimus Princeps noster Coronam fuerit consecutus. Vidimus Instrumentum a Proceribus signatum, coram quibus Wamba vestem Religiosam & Tonsuram recepit. Vidimus ejus Decretum, in quo Ervigium Successorem habere exoptat, & Mandatum Venerabili Fratri nostro Juliano Episcopo Toletano missum, manu Wambæ signatum, in quo orat, ut maxima cura Ervigii Unctio peragatur; quibus omnibus perlectis hanc Electionem assensu nostro confirmandam esse existimavimus. Itaque declaramus, populum a fide juramenti, quo Wambæ obstringebatur, esse liberatum, & teneri ad agnoscendum unicum Domi-*

Sæculum VII num suum *Serenissimum Ervigium*, a Deo  
 A. C. 683. electum, ab Antecessore suo nominatum,  
 Et quod majus est, a toto populo exoptatum. Quicumque ei obedire detrectaverit, *Anathema sit!*

Canonis secundi summa hæc est: *Sæpe qui sano corpore Pœnitentiam desiderabant, morbo occupati, atque voce & memoria deficiente eam petere non possunt. His nihilominus ultimum Viaticum datur, nec eorum Pœnitentia fructu careat creditur.*

Pœnitentia.

Hic ego sub nomine Viatici Absolutionem intelligo, sicut in aliis locis. Tum Patres prosequuntur: *Sunt, qui recuperata sanitate Tonsuram & Habitum Religionis dimittere volunt, impudenter dicentes, hoc Voto se non obligari, quia Pœnitentiam non petierunt. At sicut infantes Fide Baptismi, quem rationi expertes acceperunt, obstringuntur, ita etiam, quibus Pœnitentia, etsi sui nesciunt, injuncta est, eam sancte adimpleant, inique omnem redditum ad munera militaria interdiciamus. Nihilominus nobis non probatur, quod Episcopi Pœnitentiam non petentibus æquo facilius injungant, sed ne faciant, sub pœna Excommunicationis ad unum annum prohibemus. Nemo non videt, hunc Canonem ea solum de causa editum, ut Wambæ spes omnis ad solium redeundi præcideretur. Nec legimus,*

gimus, hanc ei mentem fuisse; nam in Sæculum VII  
A. C. 683.  
 Monasterio perseverans post annos septem diem oppetiit. Ceterum primum hoc est, quod occurrit, exemplum, Episcopos voluisse subditos a juramento fidelitatis suo Principi præstito liberare, (\*) & sub prætextu Pœnitentiæ usum potestatis sæcularis interdicere.

Item in hoc Concilio decernitur, ut  
 Episcopi Communioni Ecclesiasticæ illos  
 restituant, quos Princeps in Gratiam recepisset, & qui ad exercitum vocati non venissent, non haberentur in judicio fide indigni, non obstante Regis Wambæ Lege, quæ abrogatur. Ex his suspicari fas est, novo Regi Ervigio animum fuisse Antecessoris sui facta, quantum posset, denigrandi; nam in eodem Concilio questus est Stephanus Episcopus Emeritanus, se vi adhibita a Wamba fuisse compulsus, ut in pago novum Episcopum consecraret. Tum non nulli Canones lecti, quibus Episcopales Sedes erigi in locis ignobilibus prohibebantur, atque ejusmodi Sedes suppressa est, nec tamen ideo novus Episcopus depositus, sed alia Cathedra, quæ primo vacaret, eidem destinata. Ceterum sub pœna

can. 3.

c. 7.

c. 4.

Gg 3 Ana-

(\*) Nullus hic actus Jurisdictionis ab Episcopis exercitus; sed tantum, quid populo licere crediderint, edixerunt.

- Sæculum VII** Anathematis prohibitum, ne Episcopus  
A. C. 683. ad talem locum, in quo nunquam Episcopus  
 fuisse, ordinaretur. Quasi vero  
 nulla nasci posset causa novas Sedes eri-  
 gendi. Item sancitur, ut Episcopus To-  
 letanus potestatem habeat omnes Episcopus  
 Hispaniæ ordinandi, quos Princeps  
 elegerit, si modo ipse tanto fastigio di-  
 gnos judicaret; at Neo-electus Episco-  
 pus post Ordinationem suam ad manda-  
 ta accipienda suam Metropolitam intra  
 menses tres adire teneatur. Ita Episco-  
 pis Provinciæ Jus eligendi Episcopos, &  
 Metropolitæ Jus consecrandi aufertur, ut  
 omnia Regi & Episcopo Toletano con-  
 ferantur. Episcoporum quorundam vi-  
 sus damnatur, qui sæpius in uno die Sa-  
 crificium offerentes, in ultimo tantum  
 communicabant, & præcipitur, ut quo-  
 ties sacrificant, etiam communicent. Le-  
 ges contra Judæos renovantur. Tandem  
 Rex Ervigius edito Edicto Decreta hujus  
 Concilii confirmavit.

## §. XXX.

*Concilium Toletanum decimum  
tertium.*

to.6. p.1253. **A**nnis ferme tribus elapsis scilicet anno  
 683. quarta Nov., anno regnantis  
 Ervigii quarto, Æra 721., Synodus To-  
 leti habita, quæ est ordine decima tertia.  
 Ante omnia de more Confessio Eidei  
 edita

edita est, id est, Symbolum Nicenum, <sup>Sæculum VII</sup>  
 quod jam illa ætate in Missa in Ecclesiis <sup>A. C. 683.</sup>  
 Hispaniæ decantabatur. Deinde tredecim  
 Canones sanciti, quorum pars bona <sup>p. 1255.</sup>  
 ad causas sæculares pertinet. Bona, ju- <sup>c. 1.</sup>  
 ra, & Dignitates illis redduntur, qui tan- <sup>Sup. Lib.</sup>  
 quam conscii seditionis Pauli contra Re- <sup>XXXIX.</sup>  
 gem Wambam condemnati fuerant. <sup>§. 51.</sup>  
 Tanta cura erat omnia hujus Principis <sup>c. 2.</sup>  
 facta damnandi! Prohibetur, ne vincu-  
 lis dentur, aut in equuleo torqueantur  
 Aulici, aut Clerici, vel magno rigore ha- <sup>c. 3.</sup>  
 beantur, si fuerint criminis accusati. Re-  
 liquiæ omnium Tributorum necdum so-  
 lutorum usque ad annum primum Ervi- <sup>c. 4.</sup>  
 gii condonantur. Sub pœna Anathe-  
 matis prohibetur, ne quis Posteritati Re-  
 gis Ervigii, aut Reginæ Liubigotonæ  
 Conjugis ejus, quidquam mali inferat. <sup>c. 5.</sup>  
 Viduis Regum prohibetur, ne nuptias se-  
 cundas meditentur, & cuicumque, etiam  
 Regibus, ne eas ducant. Non secus, ac  
 si hac in re crimen esset. Servi aut Li- <sup>c. 6.</sup>  
 berti, illis exceptis, qui Fisco addicti  
 sunt, in Palatio, aut in Fundis Regiis  
 nullo Officio fungantur. Sola profecto  
 Regis voluntas & Optimatum consensus  
 Episcopis talia præcipiendi Auctoritatem  
 dare possunt.

Canones sequentes magis ad Disci- <sup>c. 7.</sup>  
 plinam Ecclesiasticam pertinent. Epis-  
 copi, & Ecclesiæ Ministri non denudent

Sæculum VII Altaria, non ciliciis tegant, non extinguant lucernas, aut quidquam, quod luctus indicium esse possit, in Ecclesiam inferant, ut affectui vel dolori privato indulgeant. Vidimus hunc fuisse modum Ecclesiam interdicendi. Gaudentius Episcopus Valeriæ per Legatum suum ad Concilium referri iussit, sibi gravi morbo decumbenti manuum impositione Pœnitentiæ Leges fuisse injunctas; itaque quærebat, an sibi Missam celebrare, & ceteris Officiis fungi liceret. Respondet Concilium, quod possit, accepta prius Reconciliatione. Quia, juxta Canones, si qui in periculo mortis existentes Pœnitentiam accipiunt sine Confessione (\*) ullius criminis, etiam ad Ordines promoveri possunt. Istud in aliquo Canone Concilii Toletani IV. decretum fuerat, estque notatu dignum, Episcopis quoque, ut tranquillo animo morerentur, Pœnitentiam publicam injunctam fuisse.

*Conc. IV.*

*c. 54.*

*Sup. Lib. XXXVII.*

*§. 46.*

*c. 9.*

In hoc Concilio decimo tertio omnes Canones Concilii præcedentis confirmantur; perspiciebat nempe Rex, quantum, ut id fieret, ipsius interesset.

Triduo confecta sunt omnia, præsentibus Episcopis quadraginta, quorum primi quatuor erant Metropolitæ. Post  
Episco-

(\*) Nempe publica.

Episcopos visuntur Abbates quinque. Sæculum VII  
A. C. 683.  
Hos sequuntur tres Clericorum Ecclesiæ  
Toletanæ Principes, Archipresbyter, Ar-  
chidiaconus, & Primicerius.

Rex duobus promulgatis Edictis Con-  
cilium confirmavit.

Concilio soluto, & Episcopis ad sua  
reversis, confestim Petrus Ecclesiæ Ro- Conc. Tolet.  
14. c. 2. 3.  
manæ Notarius, Leonis Papæ Epistolas  
& Concilii Constantinopolitani Defini-  
tionem afferens, in Hispaniam perve-  
nit.

§. XXXI.

*Leonis Papæ Epistolæ ad Hispanos.*

Petrus quatuor ferebat Epistolas. In  
prima ad Episcopos Hispaniæ data do-  
cebat Pontifex, Concilium Oecumeni-  
cum sextum Indictione nona fuisse cele-  
bratum.

Illa etiam Indictione finitum fuerat p. 1246.  
Concilium secundum Romanos, apud  
quos Indictio non ante vigesimam quar-  
tam Septembris inchoabatur. Tum Papa  
scribit: *Epistolæ Papæ Agathonis Ante-* p. 1247.  
*cessoris nostri & Concilii nostri in eo ex-*  
*aminatæ (\*) & approbatæ fuerunt. Con-*

Gg 5 demna-

(\*) Hic P. Balduinus antiquam crambem re-  
coquit. Sed immorari non vacat, nempe tri-  
catur, an Episcopis liceat Epistolas Summi Pon-  
tificis examinare.

Seculum VII demnati Theodorus Pbaranita, Cyrus A.  
 A. C. 683. Alexandrinus, Sergius, Pirrbus, Paulus &  
 Petrus Constantinopolitani, & Honorius,  
 qui, cum nascentem Hæresis flammam Au-  
 thoritate Apostolica extinguere oportuis-  
 set, eandem sua socordia fovit. (\*) Tum  
 subjungit: Quia Acta Concilii necdum  
 ex Græco in Latinum translata sunt, in-  
 terim Definitionem, & Sermonem Impe-  
 ratoris, Edictumque ejus mittimus, Acta  
 quoque, si petitis, missuri, postquam Lati-  
 nitate donata fuerint. Igitur rogamus,  
 ut hanc Concilii Definitionem cunctis E-  
 piscopis & populo universo Provincia  
 vestræ notam faciatis, omnes Episcopos  
 subscribere jubeatis, & signa apposta ad  
 nos mittatis, prope Confessionem S. Petri  
 deponenda.

Epistola secunda ad Quiricium Ar-  
 chiepiscopum Toletanum data est; un-  
 de videmus, Papam necdum scivisse, i-  
 psam esse vita functum, quamvis Julia-  
 nus ejus Successor jam mense Octobri  
 anno 680. Episcopatum teneret. Epi-  
 stola tertia data est ad Comitem, nomi-  
 ne Simplicium, & quarta ad Regem Er-  
 vigium, omnes in eundem finem scriptæ,  
 ut Definitio sextæ Synodi Universalis in  
 Hispa-

(\*) Hic iterum socordiæ incusatur Honorius  
 non autem Hæresis. Si tamen Authentica est  
 Epistola. Videatur Baronius ad hunc annum.

Hispania reciperetur. Id vero ideo erat Sæculum VII  
A. C. 683.  
necessarium, quod nullam in hoc Con-  
cilio partem habuisset Hispania, cum  
Episcopi, nec Constantinopolim, nec ad  
Concilium Romanum, in quo Oratores  
delecti, vocati fuissent. In epistola ad  
Regem data condemnatus Honorius ite-  
rum memoratur in hunc modum: &  
*Honorius, qui Apostolicæ Traditionis Re-  
gulam, quam ab Antecessoribus suis im-  
maculatam acceperat, inquinari permisit.*  
Tanta cura Leoni Pontifici fuit, ostende-  
re, culpam Personæ, Sacræ Sedi nocere  
non posse.

His igitur Epistolis, postquam Episco-  
pi a Concilio Toletano decimo tertio re-  
cessissent, in Hispaniam allatis, quia in  
hyeme Episcopi congregari non poterant,  
Acta Concilii, ut Roma missa fuere, ad  
singulos delata sunt, ut ea Domi exami-  
narent. Acceptationem autem solemnem  
ad Concilium, quod de more post an-  
num celebrandum erat, distulerunt.

## §. XXXII.

*Leonis II. Obitus. Benedictus II.  
Papa.*

Interim Leo II. Papa ad Cœlestia migra-  
vit postquam S. Sedem tenuisset uno  
anno & septem mensibus, atque una Or-  
dinatione Presbyteros novem, Diaconos *Anast. is*  
*Leo*  
tres,

Sæculum VII tres, & per diversa loca Episcopos vigin-  
 A. C. 683. ti tres creasset. Ipso sedente Episcopi

*Papebr.*

*Conc. Chr.*

Ravennates potestatem Sacræ Sedis ple-  
 ne agnoscere, seque subicere compulsi,  
 misitque Imperator epistolas, in quibus  
 præcipiebatur, ut defuncto Archiepisco-  
 po Ravennate Neo-Electus Romam se  
 conferret, ut ibi ordinaretur. Econtra  
 Papa edito Decreto Archiepiscopum ab  
 onere pensionis pro usu Pallii, & ex aliis  
 Titulis Ecclesiæ Romanæ reddendæ libe-  
 ravit. At prohibuit, ne dies Anniver-  
 sarius ageretur Mauri Archiepiscopi Ra-  
 vennatis, qui se obedientiæ Ecclesiæ Ro-  
 manæ subtrahere voluerat, & ejus Suc-  
 cessores Typum seu Decretum Impera-  
 toris, quod ad stabiliendam suam poten-  
 tiam quondam obtinuerant, Sacræ Sedi  
 reddere coacti. Leo Papa Ecclesiam Ro-  
 mæ ædificavit prope Ecclesiam S. Bibia-  
 næ, quam, Corporibus Sanctorum Sim-  
 plicii, Faustini, Beatrix, & quorundam  
 aliorum Martyrum in eam depositis, S.  
 Pauli honori dedicavit. Item prope ve-  
 lum aureum ædificari jussit Ecclesiam in  
 honorem Beati Sebastiani, & iterum  
 aliam in honorem S. Georgii. Sepultus  
 est ad S. Petrum die vigesima octava Ju-  
 ni, qua Ecclesia ejus Memoriam cele-  
 brat.

*Martyr. R.*  
 28. Jun.

*Anast. in*  
*Ben.*

Leone defuncto electus est Benedi-  
 ctus, Romæ natus, Joannis filius, Sacra-  
 rum

rum Litterarum Scientia & Cantus Ec-  
 clesiastici Disciplina apprime instructus, Sæculum VII  
 A. C. 684.  
 a pueritia Ecclesiæ ministrans, digne sa-  
 cerdotio fungebatur, Amator paupertatis,  
 humilis, mansuetus, patiens, & munificus. Is Epistolas Constantini Imperatoris accepit, ad Clericos, populum, & exercitum Romanum directas, quibus Princeps potestatem faciebat, sine mora illum ordinandi, qui Papa electus fuisset. Id est, ut, omissa Legatione ad Papebr.  
 Conc. Chr.,  
 p. 109. Cæsarem, sufficeret, quod Exarchus Ravennæ nomine Imperatoris consentiret. Benedictus Papa ad Petrum Notarium in Hispania versantem dedit epistolam, in to. 6. Conc.  
 p. 1278. qua instabat, ut ipsi ab Antecessore suo mandata strenue curaret.

## §. XXXIII.

*Concilium Toletanum XIV.*

Ut his Mandatis satis fuisset factum, opus fuisset convocare Concilium Generale ex tota Hispania, quod cum ob varia obstacula fieri non posset, iussit Rex, ut Synodi in qualibet Provincia, & primo Toleti Synodus Provinciæ Car-Conc. Tol.  
 14. c. 1.thaginensis celebrarentur. Aduere omnes illius Provinciæ Episcopi, numero septendecim, quibus Julianus Archiepiscopus præerat. Verum ceteri quinque Metropolitæ illo Legatos miserunt, nempe Cyprianus Tarraconensis, Sunifredus Narbo-

Sæculum VII Narbonensis, Stephanus Emeritanus, Livi-  
 A. C. 684. ba Braccarenfis, & Floresindus Hispalen-  
 sis. Hoc Concilium, quod inter Tole-  
 tana decimum quartum numeratur, de-  
 cimo octavo Cal. Dec. anno Ervigii quin-  
 to, æra 722. id est, die decimo quarto  
 Nov. anno 684. inchoatum, & vigesimo  
 ejusdem mensis solutum est.

- Summa eorum, quæ Episcopi dixe-  
 runt, fuit: *Acta nobis examinanda sunt,  
 Roma ad nos missa, quia juxta Canones in  
 Causis Fidei Concilium universale convo-  
 candum est.* Scilicet Hispani Concilium
- c. 4. Constantinopolitanum tanquam Oecu-  
 menicum non habebant, ad quod Hispania,  
 Ecclesiæ Pars admodum spectabilis,  
 vocata non fuisset. Hinc, antequam  
 illius Definitionem examinassent, eam  
 recipere volebant. Tum subjungunt:
- c. 5. *His Actis cum antiquis quatuor Conciliis  
 collatis, ea approbamus, recipimus, & ve-  
 neramur tanquam consentanea, atque pro-  
 ximo loco post quatuor Concilia habenda  
 esse arbitramur.* De Concilio quinto  
 nullam faciunt mentionem, quia illud de  
 c. 8. 9. & 10. Fide nihil definierat. Deinde Fidem suam  
 de Incarnatione explicant, & duas vo-  
 luntates diserte confitentur. Cum ve-  
 ro definitionem Concilii, cui subscripse-  
 runt, Benedictio Papæ remiserunt, &  
 adjunxerunt librum, in quo Fidem suam  
 fufe exponebant, non nullæ formulæ dis-  
 plicue.

Hispani  
 Concilium  
 recipiant.

plicuerunt Papæ, præsertim ista: *Voluntas genuit Voluntatem.* Et rursus: *In Jesu Christo tres sunt Substantia.* Hæc Papa coram illo, quem Hispani miserant, non dissimulavit, atque Hispani Papæ litteris eodem anno missis, quæ videbantur, responderunt.

Benedictus Papa nihil non fecit, ut Macarium Antiochenum, Romæ exulem, converteret, & præstituto sex Septimanarum tempore quotidie Bonifacium, sibi a Consiliis, ad eum misit, qui ad Pœnitentiam exhortaretur; sed Macarius nunquam mentem mutavit. Benedictus Papa non ultra decem menses & duodecim dies S. Sedem tenuit, & nihilominus duodecim Episcopos ordinavit. Ecclesiam S. Petri & S. Laurentii Lucinæ reparavit. Ecclesias S. Valentini & S. Mariæ Martyrum, quæ dicitur Rotunda, ornavit. Clericis & Monasteriis triginta auri libras legavit. Sepultus est ad S. Petrum octavo Maji, anno 686. atque in numerum Sanctorum relatus. S. Sedes vacavit duobus mensibus & dimidio.

Sæculum VII  
A. C. 684.

Conc. Tol.  
XV. p. 1296.

Conc. Nic. II  
Act. I. p. 802.  
to. 7. Conc.

Anast.

Papebr.  
Conc. Chr.  
p. 109.

Martyr. R.  
7. Maji Boll.  
to. 13. p. 196.

#### §. XXXIV.

*Constantini Obitus. Justinianus II.  
Imperator.*

**B**enedicto S. Petri Sedem tenente Constantinus capillos duorum filiorum suorum

Sæculum VII suorum Justiniani & Heraclii Romam mi-  
A. C. 685. sit, a Papa, Clero & Exercitu exceptos.

*Paul. Diac. IV. hist. cap. 43.* Mos iste illa ætate erat aliquod Adoptio-  
nis genus, & si quis adolescentis mallo-  
nes recepisset, eidem parentis loco esse  
credebatur. Hoc igitur modo Imperator  
Papam, aut certe S. Petrum honorare vo-  
luit. (\*) Obiit Constantinus mense Sept.  
anno 685. Indictione decima quarta in-  
choata

(\*) Nachdem endlich der sechste Theil unlers protestantischen Uebersetzers zum Vorschein gekommen, und er eine sittliche Vorrede von eiss Bögen die vor neunzig Jahren ans Licht getreten, und einen Engländer zum Verfasser hat, voran gesetzt, hat dieser Spötter einige Anmerkungen zum Schimpf der Römischen Kirche und der Päbste gemacht, denn dieses ist seine erste Absicht; hier aber saget er: Wie man nun überhaupt viel heidnische Gebräuche in der Römischen Kirche eingeführet, so kann es leicht seyn, daß auch dieser seinen Ursprung daher genommen und vom Pabst Benedict zuerst eingefegnet worden. Nun diese Låsterung des heiligen Pabstes Benedict hat keinen andern Grund, als ein: so kann es leicht seyn. Wenn man auch in der Römischen Kirche Gebräuche, nicht eingeführet, sondern nur beybehalten, welche mit der heidnischen einige Aehnlichkeit hatten, so ist dieses kein Greuel; aber dieses wohl, daß die von den Herren Protestanten so genannten Glaubensbesserer, das klare Wort Gottes durch irrige Auslegungen verfältschet und verderbet haben.

choata, postquam regnasset annis septen-  
decim, & Constantinopoli in Ecclesia  
Apostolorum sepultus est, cui filius Ju-  
stinianus non plus sexdecim annos natus  
successit. Georgius Patriarcha Constan-  
tinopolitanus post Concilium Oecume-  
nicum annis tribus superstes fuit; unde  
colligimus, eum anno 684. oppetiisse.  
Ipso defuncto Theodorus restitutus Se-  
dem adhucdum annis tribus tenuit.

Sæculum VII.  
A. C. 685.  
S. Niceph.  
hist. p. 24.  
Theoph. p.  
201.  
Anast. in  
Joan. V.  
Theoph. p.  
300. 302. S.  
Niceph. Chr.  
p. 415.

Constantinus Imperator uno anno an-  
te mortem suam cum Al delmelico tunc  
temporis Musulmannorum Califa pacis  
foedera renovaverat. Quippe Jezid an-  
no Hegiræ 64. Jesu Christi 683. mor-  
tuo, & filio quoque ejus Moavia II.  
improli, postquam regnasset septimanis  
septem, vita functo, Merovanus, eadem  
ex Stirpe Ommiæ ortus, Califa in Syria  
salutatur, aliis interea in Ægypto & Ara-  
bia Abdallæ Zubeiri filio fidem juranti-  
bus. Merovano septuagenario post de-  
cem mensium Imperium anno Hegiræ  
sexagesimo quinto, & Jesu Christi sex-  
centesimo octogesimo quinto decedenti  
successit filius Abdelmelicus, qui devicto  
Abdalla, bello civili ab annis triginta  
quinque hos populos dividendi finem im-  
posuit. Abdelmelicus tunc annos natus  
quadraginta, ultra annos viginti Musul-  
mannis imperavit.

Theoph. an.  
15. 16. p. 300.  
Elmac. &  
Abuljar.

**Sæculum VII** Sub initia Regni Abdelmelici anno  
**A. C. 685.** Hegiræ sexagesimo sexto, JESU Christi  
*Elmac. c. 12.* 685. Jacobitæ, mortuo Joanne, Isaacum  
*p. 67.* Patriarcham Alexandrinum elegerunt,  
*Chr. Orient.* qui, postquam sedisset annis ferme tri-  
*p. 104.* bus, anno Hegiræ sexagesimo nono, JE-  
 su Christi 688. defunctus Successorem  
 habuit Simonem Syrum. Hunc Secta-  
 tores sui miracula patrasse ferunt. Cum  
 Legatus ex India ad eum venisset, petens  
 sibi dari Episcopum & Presbyteros, &  
 ipse sine Mandato Præfecti Ægypto da-  
 re non auderet, Legatus adiit alium, qui  
 id concessit; unde ingentes postea ortæ  
 sunt turbæ. Simon scripsit epistolam  
 Synodicam de Fide ad Julianum Patriar-  
 cham Antiochenum datam, atque post-  
 quam sedisset annis septem & mensibus  
 novem, anno 416. Diocletiani, JESU  
 Christi 700. e vivis abiit. Exinde Se-  
 des Alexandrina annis tribus vacavit.

## §. XXXV.

*S. Ansbertus Archiepiscopus Rotho-  
 magensis.*

*vit. S. Au-* **I**n Francia S. Audoenus Archiepiscopus  
*dom. Lib. II.* Rothomagensis, cum ad reducendam  
*c. 29.* pacem inter Francos Neustria, & Au-  
 strasiæ egregiam navasset operam, felix  
 nuncium Regi Theodorico III. Cliciaci  
 prope Parisios tunc agenti, quo Præsules  
 &

& Optimates ad deliberandum conven-  
rant, attulit, ibique morbo correptus,  
Regem rogavit, ut sibi Successorem da-  
ret Ansbertum Abbatem Fontanellanum,  
quem Clerus Populusque Rothomagen-  
sis Pastorem exoptabat. S. Audoenus in  
eodem loco vigesimo quarto Aug., quo  
die Ecclesia ejus memoriam colit, ad Su-  
peros migravit, postquam annos qua-  
draginta tres Episcopatum obtinisset.  
Triennio antequam e vita excederet,  
nempe anno 681., Varatano Munus Ma-  
joris Domus gerente, Theodoricus Rex  
S. Audoeni maximi momenti Privile-  
gium concesserat, ut in ejus Provincia  
sine ipsius consensu nec Episcopus, nec  
Abbas, nec Comes, nec quoquam alio  
nomine Judex constitueretur. S. Au-  
doeno defuncto Rex Theodoricus S. Ans-  
bertum accivit, quasi ejus consilio in gra-  
vi negotio usurus, eundem enim consu-  
lere adsueverat, imo a Confessionibus  
habebat. (\*) Suboluit viro sancto, quid  
ageretur; hinc primo monitus Clicia-  
cum ire recusavit. At iteratis mandatis  
obediit, atque Archiepiscopus Rothoma-  
gensis a S. Lamberto Archiepiscopo Lug-  
dunensi aliisque Prælatiis congregatis or-  
dinatus est.

Hh 2

S. Ans-

(\*) Id haud dubie de Confessione auriculari  
accipiendum.

Sæculum VII  
A. C. 685.

Martyr. R.  
24. Aug.

Sup. Lib.  
XXXVIII.

S. 29.  
Frideg. Mis.  
ap. Coimt. an.  
681. n. 67.

Sæculum VII S. Ansbertum, in Vexino nobili fami-  
 A. C. 685. lia natum, Parens eo adduxerat, ut An-  
Act. SS. gadremam Roberti, qui Regis Clotarii  
Ben. to. 2. tertii Cancellarius erat, filiam Conjugem  
p. 1048. accipere promitteret. Sed puella, cu-  
 piens se totam Deo consecrare, precibus  
 suis impetravit, ut tota sua facies lepra  
 foedaretur. Itaque, parentibus & spon-  
 so consentientibus, vocationem suam se-  
 cuta, velamine Monastico e manibus S.  
 Audoeni accepto, Abbatissa in *Oroer*,  
 id est, Oratorio prope Bellovacum fuit. S.  
 Ansbertus Roberto in officio Cancellarii  
 successit, & in media Aula Sæculari omni-  
 bus sinceræ Pietatis exemplum præbuit.  
 Tandem secreto aufugiens, Fontanel-  
 lam solus pervenit, & a S. Vandregifilo,  
 aliquanto tempore juxta Regulam pro-  
 batus, ad Professionem Monasticam ad-  
 missus est. Cum in Monasterio clarissi-  
 mo virtutis splendore luceret, Abbati  
 præ ceteris carus, eo rogante, a S. Au-  
 doeno Presbyter ordinatus est; qua Digi-  
 nitate suscepta nihilominus ut antea ma-  
 nuum labore occupabatur. S. Lamber-  
 to secundo Abbate Fontanellano in Ar-  
 chiepiscopum Lugdunensem anno 678.  
 electo, Monachi S. Ansbertum, quem  
 S. Lambertus in rebus arduis consulere  
 solebat, unanimi consensu sibi Abbatem  
 cooptarunt. Ipse Abbatiali Dignitate  
 auctus Fratres non solum sermonibus,  
 sed

*Sup. Lib.*  
*XXXIX.*  
*S. 87.*

sed multo magis exemplis ad Pietatem <sup>Sæculum VII</sup> animabat. Nec tanta Charitas intra A. C. 686. Monasterii muros contineri potuit; sed tria Hospitia ad recipiendos pauperes ædificavit. Multi quoque Sæculares viri veniebant, ut eum de rebus ad animarum suarum salutem pertinentibus confulerent, & peccata sua eidem confiterentur. Non nulli Monasticum Institutum amplexi sunt. Alii partem Bonorum suorum Monasterio donarunt.

In Cathedram deinde Episcopalem Rothomagensem evectus S. Ansbertus, Verbum Dei assidue prædicabat, egenorum paupertatem sublevabat, & colla-<sup>to. 6. Conc.</sup> bentes restaurabat Ecclesias, quem in <sup>p. 1240.</sup> finem jure sibi in Parochias competente cessit. Anno Pontificatus sui quinto, Regis Theodorici decimo sexto, Jesu Christi anno 689. celebravit Concilium, cui Episcopi quindecim, inter quos Archiepiscopi Turonensis & Rhemensis numerantur, interfuere. Abbatia Fontanellanæ Privilegium concessit, in quo, præter alia, Monachi Regulam S. Benedicti observare jubebantur, & refractarii ab Episcopis Synodice congregatis corripiti.

§. XXXVI.

*Joannes V. Papa.*

Romæ Joannes V. Papa ordinatus est decimo Junii, anno 686. Natione  
Hh 3                      Syrus

Sæculum VII Syrus erat ex Provincia Antiochena,  
 A. C. 686. Cyriaci filius. Idem adhuc Diaconus  
 in sexta Synodo Agathonis Papæ Lega-  
 tus fuerat, vir doctus, fortis, & tempe-  
 rans. Electus est pro antiqua consuetu-  
 dine, diu interrupta, unanimi omnium  
 consensu in Ecclesia Lateranensi; unde  
 ad Palatium Episcopale deductum Epis-  
 copi tres, Ostiensis, Portuensis, & Veli-  
 ternensis, sicut antea Leonem II. conse-  
 crarunt. Joannes sub potestatem Sacræ  
 Sedis reduxit Ecclesias Sardinia; nam  
 ordinationes, quæ jure antiquissimo Sa-  
 cræ Sedi competebant, ad tempus Ar-  
 chiepiscopis Calaritanis concessæ fue-  
 rant; his vero concessione ista abuten-  
 tibus, S. Martinus Papa edicto Decreto  
 ordinationes interdixerat. Cum igitur  
 Citonatus Archiepiscopus Calaritanus  
 Novellum ad Ecclesiam Turritanam sine  
 licentia Joannis V. ordinasset, Papa Con-  
 cilium convocavit, in quo Novellus ad  
 obedientiam Sacræ Sedis redire Actis au-  
 thenticis, in Tabulariis Ecclesiæ Roma-  
 næ deinde asservatis, compulsus est. Jo-  
 annes diutina infirmitate afflictus vix Or-  
 dinationes Episcoporum explere pote-  
 rat, & nihilominus in uno Pontificatus  
 anno tredecim per diversa loca ordina-  
 vit. Decedens mille nongentos Solidos  
 Clericis & Monasteriis dimisit, sepultus-  
 que est ad S. Petrum secundo die Au-  
 gusti

gusti anno 687. Tum Sacra Sedes duo-  
 bus mensibus & dimidio vacavit.

Sæculum VII  
 A. C. 687.

§. XXXVII.

*Conon Papa.*

Joanne defuncto, Clerus Romanus Pe-  
 tro Archipresbytero, Exercitus vero  
 Theodoro Presbytero favebat. Clerici  
 congregati expectabant ad portam Ec-  
 clesiæ Lateranensis, quam milites claudi  
 jusserant, & neminem intrare sinebant;  
 ipsis interim in Ecclesia S. Stephani col-  
 lectis. Neutra parte a proposito rece-  
 dente, & quibusdam concordiam redu-  
 cere frustra conantibus, tandem Episco-  
 pis & Clericis visum, e re se facturos, si  
 in Palatium Episcopale Lateranense in-  
 grederentur, & Tertium, nempe, Co-  
 nonem Presbyterum eligerent. Erat is  
 Senex facie & canis venerabilis, in ver-  
 bis verax, simplex, pacis amans, qui nun-  
 quam negotiis temporalibus se implicue-  
 rat. In Sicilia natus, sed ex Thracia ori-  
 ginem ducens. Illico Magistratus cum  
 civium præcipuis advenientes Electum  
 acclamationibus laude plenis salutarunt,  
 Milites quoque, cum viderent, Cleri Po-  
 pulique animos consentire, & Decreto  
 Electionis subscripsisse, post paucos dies  
 mitigati subscripserunt. Itaque tres Or-  
 dines, Clerus, Militia, & Populus simul  
 Legatos ad Theodorum Exarchum de

H h 4

more

Sæculum VII  
 A. C. 687. more miserunt, ut ejus consensum obti-  
 nerent.

Imperator Joanni Papæ epistolam scri-  
 pserat decimo tertio Cal. Martii, anno  
 secundo Regni sui, Indictione decima  
 quinta, seu septimo Februarii, anno 687.  
 datam, in qua summatim dicebat: *Com-  
 perimus, Acta Sextæ Synodi apud quos-  
 dam Procerum nostrorum in hac Civitate  
 Constantinopolitana detineri; existiman-  
 tes autem, hanc custodiam solum nobis  
 competere, Patriarchas cum Legato tua  
 Sanctitatis, Senatam, Metropolitanas, Epis-  
 copos in hac Civitate præsentem, Palatii  
 nostri Proceres, Prætorianorum, & mi-  
 litum nostrorum ex diversis Provinciis  
 Duces convocavimus; tum ipsis præsentibus  
 Acta Concilii afferri, legi, & Sigillo  
 muniri jussimus, ut sollicitè custodirentur,  
 & a nemine corrumpi vel adultera-  
 ri possent. (\*) De his te certiozem red-  
 dendum esse credidimus. Hæc Epistola  
 non prius Romam pervenit, quam seden-  
 te*

(\*) Hæc Fleurius ex Anastasio. Sed Cardi-  
 nalis Baronius ad hunc locum dicit: *Ex litteris  
 tamen Nicolai Pontificis ad Michaelem Imper-  
 ratorem constat, haud sanctæ Fidei extitisse, sed  
 & adversatum fuisse eundem Imperatorem ipsi  
 Cononi, cum Legatos ejus Constantinopolim mis-  
 sos prævaricari coegisset. Sed Nicolai verba  
 accipe,*

te Conone Papa, cujus tempore Impera-  
 tor alias etiam duas epistolas dedit, Ec-  
 clesie Romanæ faventes. In prima epi-  
 stola jubebat, ut census a Brutiis & Lu-  
 canis in capita pendendi dimitterentur.  
 In secunda mandabat, ut ex eadem Re-  
 gione & ex Sicilia Servi, quos tanquam  
 vades exercitus custodiebat, suis restitue-  
 rentur. Hoc anno 687. obiit Theodo-  
 rus Patriarcha Constantinopolitanus,  
 postquam ab illo tempore, quo in Sedem  
 revocatus fuerat, eam annos tres tenuis-  
 set. Successorem habuit Paulum Lai-  
 cum, Imperatoris epistolis præfectum,  
 qui Sedem annis sex & mensibus octo  
 tenuit.

Conon Papa vir simplex & in rebus  
 gerendis parum versatus improborum  
 suggestionem contra morem & repugnan-  
 tibus Clericis, adduci se passus est, ut  
 Patrimonium in Sicilia Constantino Ec-  
 clesie Syracusanæ Diacono, viro malo,  
 & fraudulento committeret. Nec mul-  
 tum exinde effluxit tempus, cum, sedi-  
 tione

H h 5 tione

*accipe, dum invehitur in improbos Imperatores  
 de Ecclesia Romana male merentes, tantæ, in-  
 quit, Salutis oblatæ Ministros duplici modo in-  
 teremistis: quoniam aut participes illos sui er-  
 roris effectos spiritualiter occiderunt, sicut tem-  
 pore reverendæ memoriæ Cononis contigit. His  
 suspiciones Baronii confirmantur.*

Sæculum VII tione contra eundem Constantinum com-  
 A. C. 687. mota, quod multos viros privatos teme-  
 re ad iudicium vocaret, ab illius Pro-  
 vinciaæ Rectore arctissimo carceri da-  
 tus est.

## §. XXXVIII.

*S. Kilianus Herbipolensis.*

*Act. SS.* Sancto Conone sedente, S. Kilianus Ro-  
*Pon. to. 2.* mam venit, & ad prædicandum Infi-  
*p. 991.* delibus Evangelium Missionem accepit.  
 Is illustri Familia Scotia, id est, Hiber-  
 niæ natus, in Sacris Litteris eruditissi-  
 mus, in Episcopalis Dignitatis fastigio  
 constitutus, & populo suo esset carissimus,  
 majoris tamen perfectionis desiderio pa-  
 triam reliquit, & aliquibus ex suis Disci-  
 pulis, ut se viæ socios darent, persuasit.  
 In Austrasiam delati, Herbipoli ad Me-  
 num hæserunt, ubi tunc temporis Dux,  
 nomine Gosbertus, adhuc Gentilis im-  
 perabat. Regionis illius jucunda amœ-  
 nitas & incolarum placidissima indoles  
 Kilianum invitavit, ut ibi versari vellet.  
 Rem sociis communicavit. *Prius vero,*  
*inquit, Romam, ut a principio in patria*  
*nostra nobis erat propositum, eamus, visi-*  
*temus Apostolorum limina, & Joannis*  
*Papæ conspectum subeamus. Tum impe-*  
*trata licentia in hunc locum reversi Eu-*  
*angelium prædicabimus.* Cum de isto  
 itinere inter ipsos convenisset, Romam  
 delati

delati sunt Joanne Papa jam defuncto. Sæculum VII  
A. C. 687.  
 Kilianum Conon Papa perbenigne excep-  
 pit, & Fidem viri, Doctrinamque admi-  
 rans, Auctoritate S. Petri potestatem do-  
 cendi & convertendi Infideles ei tribuit.  
 Ergo Herbipolim revertitur, Coloman-  
 no Presbytero & Totnano Diacono co-  
 mitantibus. Verbum Divinum prædi-  
 cantes Gosbertus Dux accersit, cui Ki-  
 lianus collocutus eundem ad Fidem con-  
 vertit & baptizavit, multis incolis Prin-  
 cipis exemplum sequentibus.

Gosbertus Fratris sui uxorem duxe-  
 rat. Sed Kilianus rem difficilem admo-  
 dum statim Duci noluit indicare, donec  
 eum videret in Fide suscepta satis con-  
 firmatum. Tunc vero ait ad eum: *Ca-  
 rissime Fili! Deo demum per omnia pla-  
 cebis, si a generoso, quo præditus es, ani-  
 mo impetrare potueris, ut uxorem tuam  
 dimittas; nam illicitum est hoc conju-  
 gium.* Gosbertus respondit: *hucusque  
 nihil durum adeo a me petiisti. Quia ve-  
 ro cetera omnia ex amore Dei reliqui, et-  
 iam uxorem, mihi dilectissimam, dimittam,* S. Kilianus.  
*si eam retinere non licet.* Ipsum vero  
 divortium, usque dum ab expeditione  
 bellica, quam parabat, rediisset, distulit.  
 Interim Conjux, cui nomen Gailana,  
 iram coquebat & vindictam, atque ar-  
 repta occasione, cum Dux abesset, noctu  
 suorum aliquem immisit, qui Virum San-  
 ctum,

Sæculum VII etum, sociosque interimeret. Illi Divi-  
A. C. 687. nas Laudes cantabant, atque S. Kiliano  
 hortante, ut exoptatam luctam, quam  
 tanto tempore percupiebant, subirent,  
 omnibus caput amputatum est. Corpo-  
 ra eadem nocte celeriter & occulte cum  
 eorum sarcinis, Cruce, Evangelio, & ve-  
 stibus Pontificalibus consepulta. Hæc  
 anno 689. octavo Julii, quo die ab Eccle-  
 sia inter Martyres honorantur, accide-  
 runt.

*Martyr. R.*  
*8. Jul.*

Duci Gosberto e bello reduci, qua-  
 rentique, ubi Servi Dei essent, Gailana  
 respondit, nescire se, quid ipsis factum.  
 At percussor se ipsum manifestavit; qui-  
 pe circumcursans & palpitans fatebatur,  
 se a Kiliano quasi ab igne crudelissimo  
 torqueri. Gosbertus collectis omnibus  
 subditis suis, qui Christiani erant, consi-  
 lium expetiit, quid scelestissimo homi-  
 cione esset faciendum. Sed Gailana in-  
 stigante vir in dicendo ceteris magis  
 exercitatus ad Ducem dixit: *Domine!*  
*cogita, quantum tua & nostra, qui omnes*  
*ab his Advenis baptizati sumus, interst,*  
*an vera afferant. Atque ut experiamur,*  
*an Deus eorum tanta, quantam jactant,*  
*valeat potentia, jube miseri hominis vin-*  
*cula solvi, da libertatem, & videbimus,*  
*an Deus ipsorum injuriam illatam ulcisca-*  
*tur. Si nulla sequatur vindicta, noli no-*  
*bis irasci. Magnæ Dianæ serviemus, si-*  
*cus*

*cut Patres nostri, quibus idcirco nihil accidit mali.* Fecit Dux, quod iste petebat. At ecce! percussor vinculis liberatus in rabiem agitur, & seipsum dentibus usque ad necem dilaniat. Christiani Deum laudabant. Verum necdum Divina vindicta quievit. Gailana, irruente maligno Spiritu agitata expiravit. Dux Gosbertus a familiaribus occisus, & Hetanus filius e Ducatu a Francis Orientalibus pulsus. Nemo ex hac stirpe superfuit. S. Kilianus ut Patronus Herbipolensium colitur, cujus tamen civitatis nunquam Episcopus fuit; cum illa Sedes demum elapsis inde annis quinquaginta erecta fuerit.

Sæculum VII  
A. C. 687.

§. XXXIX.

*Cononis Obitus. Sergius Papa.*

Conon Papa non ultra menses undecim & tres dies Sacram Sedem tenuit, quo temporis spatio diu morbo afflicto vix superfuere vires, ut Episcopus ordinaret. Consecravit tamen sexdecim. Ipso ad mortem decumbente Paschalis *Anast. in Conc.* avidus auri, quod Conon Clericis & Monasteriis legabat, datis ad Joannem Ravennæ Exarchum cognomento Platym litteris, hoc aurum ei dare pollicitus est, si faceret, ut Papa eligeretur. Accepit conditionem Exarchus, misitque Romam ministros, qui suo nomine Civitatem regerent.

Sæculum VII  
A. C. 688.

gerent, & quamprimum mortuus esset Conon, Paschalem eligerent. Obiit ille sepultusque est ad S. Petrum vigesimo secundo Octobris anno 688. Sacra Sedes vacavit tribus mensibus.

Conone defuncto, Romanus populus in partes divisus est, quibusdam Paschalem Archidiaconum, aliis Theodorum Archipresbyterum eligentibus. Hi ceteris promptiores Partem interiorem Palatii Patriarchalis Lateranensis, & qui Paschali favebant, Partem exteriorem, nempe Sacellum S. Silvestri & Basilicam Juliam occuparunt. Utraque Factione Papam suum obstinate tuente, supremi Magistratus, majorque Clericorum, Militum, populique numerus ducentibus quibusdam Episcopis ad Palatium Cæsareum perrexerunt, cumque diu pensaf-

*V. Greg. IX ep. 1. Baro. an. 603. n. 3. 687. n. 3. Not. in Martyr. 1. Nov.* sent, qua potissimum ratione sopiri possent contentio, consenserunt omnes, ut Sergius Presbyter eligeretur, eumque tollentes de medio populi in Sacellum S. Cæsarii Martyris, quod intra idem Palatium erat, introducunt, indeque inter acclamations, & laudes, quæ ad Litaniarum modum cantabantur, ad Palatium Patriarchale Lateranense deducunt. Quamvis vero portæ essent clausæ & intus positis obstaculis munitæ, nihilominus qui cum Sergio erant, viribus superiores intrant. Theodorus Archipresbyter

byter confestim se subjiciens, Sergium <sup>Sæculum VII</sup> salutavit & osculatus est. Sed Paschalis <sup>A. C. 688.</sup> Archidiaconus christas ponere noluit, & venit quidem, sed invitus ad salutandum novum Pontificem.

Sergius origine Antiochenus, Tiberii filius, Panormi in Sicilia natus, Romam venit Adeodato Papa sedente, & Clericis adscriptus est. Cum notarent Magistri, quod cantum amaret, juvenem Acolythum ordinatum viro hujus artis peritissimo tradiderunt. Tum per singulos ordines evehctus a Leone II. Papa Presbyter Titulo S. Susannæ ordinatus est. Nemo autem diligentius Sergio ad celebrandam Missam diversa Cœmeteria adibat. Tandem expletis annis septem Papa eligitur.

Interim Paschalis Archidiaconus, quibusdam suorum Ravennam missis, ingentia promittendo Joannem Platym permovit, ut cum sua cohorte Romam contenderet. Tam subitus & arcanus fuit adventus, ut Romani venienti obviam cum signis militaribus procedere, ut adsueverant, non potuerint. Videns vero, quod omnes ordines Sergio adhæ- <sup>Schisma</sup> rere, nihil, quod Paschali prodesset, <sup>Paschalis;</sup> movere ausus est, & nihilominus postu- <sup>oclavum.</sup> lavit, ut pro consensu suo ad ordinationem Sergii præstando Ecclesia S. Petri centum libras auri, sibi a Paschali promissas,

Sæculum VII missas, daret. Contestabatur Sergius se  
 A. C. 688. nihil promississe, nec omnino tantam pecuniam dare posse. Imo ut omnium commiserationem moveret, lucernas & coronas, ad portandos cereos factas, quæ ex antiquo more ante Altare & Confessionem S. Petri pendebant, tolli iussit, & pignori dedit. His tamen Exarchi avaritia non est satiata, sed ad dandas centum auri libras Pontificem compulit. Itaque Sergius Papa ordinatur 22. Nov. anno 688. qui Sacram Sedem annis tredecim & novem ferme mensibus tenuit. Haud diu postea Paschalis veneficii & Superstitionis reus Archidiaconatus Dignitate privatur, & in Monasterium includitur, ubi exactis annis quinque nullo dato pœnitentiæ signo obiit.

*Paul. Diac. V. hist. c. 37. 34.*

Sub idem tempus Sergio Papa ordinato, nempe anno sexcentesimo octogesimo nono, Pertharitus Longobardorum Rex fato functus est, postquam annos octodecim regnasset. Hic Princeps, qui a Pietate plurimum commendatur, initio Regni sui, ut gratum animum probaret in Deum, quod se de manibus inimicorum suorum liberasset, Ticini Monasterium S. Agathæ ædificavit. Regina quoque Rundelinda Coniux ejus prope eandem Civitatem Ecclesiam S. Virginis, quam magnifice ornavit, extruere curavit. Illo Rege Longobardis imperante,

*Pertharitus.*

*Id. VI. c. 5.*

rante, & sedente S. Agathone Pontifice, Sæculum VII  
A. C. 688.  
 Indictione octava, quæ incidit in annum  
 680., sæva pestis trium mensium spa-  
 tio grassata est. Cuidam revelatum,  
 tantam calamitatem non alia ratione  
 averti posse, quam si S. Sebastiani hono-  
 ribus Altare erigeretur. Illico Reliquiæ  
 S. Martyris Roma allatæ, extructum Al-  
 tare, & lues extincta est. Hic primum  
 lego S. Sebastianum contra pestem fuisse  
 invocatum. Pertharito successit Cuni-  
 bertus, qui jam annis decem cum Patre  
 regnabat.

## §. XL.

*Concilium Toletanum XV.*

In Hispania anno 688. Æra 726. undeci-  
 mo Maji Concilium Toletanum XV. *to. 6. Cons.*  
 primo anno Regis Egicæ, Generi, & Suc-<sup>p. 1294.</sup>  
 cessoris Ervigii celebratum. Aduere <sup>Isid. Pac.</sup>  
 Episcopi sexaginta & unus, quorum prio-<sup>p. 9.</sup>  
 res quinque leguntur Metropolitanæ Tole-  
 tanus, Narbonensis, Hispalensis, Bracca-  
 rensis, & Emeritanus. Novem præter-  
 ea Abbates, Archidiaconus, & Primice-  
 rius Toletanus. Quinque etiam Pres-  
 byteri, Legati absentium Episcoporum,  
 & Comites septendecim. His in Eccle-  
 sia Regiæ SS. Petro & Paulo dedicata con-  
 gregatis, Rex Egica postquam se de mo-  
 re humi prostravisset, legi jussit Libel-  
 lum, in quo expetebat Patrum consilium;  
*Hist. Eccles. Tom. IX.*      I i      quip-

Sæculum VII  
A. C. 688.

quippe duobus se juramentis, quæ sibi  
p̄s adversantia videbantur, Regi Ervi-  
gio obstrinxerat, quod Rex Episcopis ex-  
posuit in hunc modum: *Quando Ervi-  
gius filiam suam selectissimam conjugio  
mibi junxit, compulit me juramento sibi  
promittere, ne suorum liberorum juven-  
tutem unquam destituerem, sed eos con-  
tra quoscunque paterne tuerer. At mor-  
ti proximus coegit me promittere, quod  
non ante pro Rege me gesturus essem;  
quam jurassem, quod populis omnibus mi-  
hi subjectis Justitiam velim decernere.  
Jam vero hic metus me angit; vereor, ut  
liberos ejus defendere queam, nisi, quod  
justum & æquum est, multis denegem,  
scilicet illic, quos injuste Bonis suis spo-  
liavit, nobiles, quos in servitutem re-  
degit, equuleo torisit, aut Sententia inique  
pronunciata oppressit.*

Sup.n.38.

Ante omnia in isto Concilio de more  
Confessio Fidei recitata. Tum Sermo  
fusissimus lectus, in quo Patres ad objecta  
a Papa Benedicto respondent, de duabus  
Propositionibus in Concilio superiore  
affirmatis; nempe, *Voluntatem genuisse  
Voluntatem, & in Jesu Christo tres  
dari substantias.* Veritatem istarum  
Propositionum tam ratione, quam aucto-  
ritate Patrum probare conantur. De  
priori propositione edicunt, se locutos  
fuisse de Voluntate accepta Essentialiter,  
non

non Relative, atque in hoc sensu etiam Sæculum VII  
 dici, Verbum esse Sapientiam de Sapien-  
 tia. De propositione secunda suam men-  
 tem explicant; Jesum Christum consti-  
 tuti ex Divinitate, Anima, & Corpore,  
 quæ sunt tres Substantiæ, (\*) quamvis  
 etiam solum duæ affirmari possint, si A-  
 nima & Corpus tanquam unica Humanita-  
 tatis Substantia accipiantur. Respon-  
 sum suum claudunt his Verbis de Roma-  
 nis loquentes: *Jam vero si post hæc, &*  
*ab ipsis Dogmatibus Patrum in quocun-*  
*que dissentiunt, non jam cum illis est am-*  
*plius contendendum, sed speramus, Ama-*  
*toribus Veritatis nostram Responsonem*  
*fore sublimem, quamvis ab ignorantibus*  
*æmulis censeatur indocilis.* Deinde Con-  
 cilio Patres ad duo Regis Egicæ juramen-  
 ta transeunt, & declarant, non esse sibi  
 ipsis adversantia, cum non esset creden-  
 dum, quod promittere voluerit, se ux-  
 oris fratres contra jus fasque defensurum.

A.C. 688.

p. 1303.

Ii 2 Si

(\*) Hispanorum Patrum verba sunt in Actis  
 Conciliorum Tomo III. Parisiis Anno 1714. edi-  
 tis, *Ad secundum quoque retractandum capitu-*  
*lum transeunt, quo idem Papa incaute nos di-*  
*xisse putavit, tres Substantias in Christo Dei*  
*Filio profiteri: Sicut nos non pudebit, quæ sunt*  
*vera, defendere, ita forsitan quosdam pudebit,*  
*quæ vera sunt, ignorare. Quis enim nesciat*  
*unumquemque hominem duabus constare sub-*  
*stantiis animæ scilicet & corporis?*

**Sæculum VII** Si vero alterutrum jusjurandum esset  
 A. C. 688. violandum, illud sane, quo populo se ob-  
 strinxisset, nullatenus violari posse, quan-  
 doquidem Reipublicæ Bonum singulis  
 privatorum utilitatibus esset præfere-  
 dum. Rex Egica suo Edicto Concilii De-  
 creta confirmavit.

p. 1308.

§. XLI.

S. Julianus Toletanus.

**D**ecreta Concilii S. Julianus Toletanus,  
 qui eidem præfuit, concinnavit. Is  
 genere Judæus, sed Toleti ex parentibus  
 Christianis natus, amicitiam Gudilæ Dia-  
 cono amplexus fuerat. Ambo quidem  
 in eremo vitam degere statuerant, sed  
 cum multa huic proposito obstarent, ad  
 procurandam Salutem proximi operam  
 junxerunt. Julianus Diaconus ordina-  
 tus, deinde Presbyter, & tandem octa-  
 vo anno Regis Wambæ, nempe anno  
 680. defuncto Quiricio, Episcopus Tole-  
 tanus, omnes boni Pastoris partes imple-  
 vit, inprimis Disciplinae conservandæ  
 studiosus. Multos edidit Libros, quo-  
 rum Catalogum Felix ejus Successor no-  
 bis transmisit. Libri vero ipsi tantum  
 tres supersunt.

*Isid. Pac. p. 9.*  
*10. Fel. Tolet.*  
*ap. Boll. 8.*  
*Mart. to. 6.*  
*p. 785.*

*Bibl. PP. to.*  
*8. p. 470.*

Opus primum præfert Titulum de  
 Prognosticis, id est, de Consideratione re-  
 rum futurarum, quod ad Idalium Epis-  
 copum Barcinonensem amicum suum di-  
 rexit.

rexit. Natam hujus scriptionis occasio-  
nem narrat in hunc modum: *Cum To-* Sæculum VII  
A.C. 688.  
*leti una essemus in Die Passionis Domini*  
*Nostri, in conclave nos abdidimus, quæ-*  
*rentes silentium huic Festo conveniens.*  
*Singuli lectulum prementes Sacram Scri-*  
*pturam accepimus, legimus Passionem, &*  
*contulimus Evangelia. Ubi ad certum*  
*quemdam Textum, cujus modo non memi-*  
*ni, (\*) venimus, sensimus corda nostra*  
*moveri, suspiravimus, consolatione Cælesti*  
*repleti sumus, & in sublimem contem-*  
*plationem abrepti. Lectionem interrump-*  
*erunt lacrymæ, colloqui cæpimus inex-*  
*plicabili dulcedine, & credo, te tunc po-*  
*dagræ, qua torquebaris, fuisse immemo-*  
*rem. Scrutabamur ergo, quid post mor-*  
*tem nobis futurum esset, ut seriva & acris*  
*contemplatio rerum futurarum, sensus*  
*nostros a præsentibus averteret. Opus*  
*dividitur in tres Libros. In primo agit*  
*de origine mortis. In secundo de statu*  
*Animarum ante Resurrectionem, ubi fu-*

Ii 3 se

(\*) Hier scherzet der ehrliche Protestant auf  
des heil. Julianus Unkosten, und saget: So solte  
man glauben, es wären die Worte Christi ge-  
wesen: Heut wirst du mit mir im Paradies  
seyn . . . . aber alsdann hätte er vom Feg-  
feuer nicht so viel unwitziges Zeug schreiben  
können. Dieser Uebersetzer ist ein Feind des Feg-  
feuers.

Sæculum VII se ignem Purgatorii asserit. (\*) In ter-  
 A. C. 688. tio differit de Resurrectione, & Statu  
 Purgatorium Beatorum. Multa Patrum testimonia  
 præsertim S. Gregorii, S. Augustini, &  
 Juliani Pomerii affert.

*Bibl. p. to. 4.  
 p. 218.*

Opus secundum, quod a S. Juliano  
 Toletano habemus, est Tractatus de se-  
 ta Mundi ætate contra Judæos, qui se je-  
 ctabant demonstrare, Messiam nondum  
 venisse, quia demum in sexta ætate ven-  
 turus esset. Ipsi vero singulas ætates  
 pro suo arbitrio in mille annos divide-  
 bant, & ut ipsi putabant, tunc primum a-  
 gebatur Millenarium quintum. Cum  
 ob Judæorum insaniam non nulli Chri-  
 stiani vacillarent, Ervigius Rex, qui tunc  
 imperabat, Julianum jussit Hebræis illis  
 respondere. Composuit itaque libros  
 tres, quos Regi inscripsit. In libro pri-  
 mo interrogat Judæos, unde ipsi acce-  
 pissent, quod Christus in Sexto Millena-  
 rio nasciturus esset, & ex antiquo Testa-  
 mento, omiſſa illorum superstitione pro-  
 bat, Messiam jam venisse. Idem in se-  
 cundo libro ex novo Testamento probat

feuers, da doch diese Lehre in der heil. Schrift  
 den richtigen Grund hat. Allein ein anders ist bei  
 Schrift immer im Munde, und ein anders in  
 Kopfe haben.

(\*) Novum, præter antiquiora, contra Pro-  
 testantes Testimonium.

& in tertio conficit, advenisse sextam æ-Sæculum VII  
tatem, imo & sextum Millenarium juxta A. C. 688.  
computationem Septuaginta Interpre-  
tum, quam solam accuratam esse existi-  
mat.

Cum Julianus Opus istud absolveret,  
Æram 724. & annum 686. a Jesu Christi *p. 251.*  
Nativitate posuit.

Tertium Opus ejus Historia est belli *Duchesne to;*  
Regis Wambæ adversus Paulum Ducem *i. p. 821.*  
Rebellem gesti.

Juliani Operibus etiam accenseban- *Sup. Lib.*  
tur duæ pro Fide Apologiæ, prima ad Be- *XXXIX.*  
nedictum Papam, & ad alium Papam al- *§. 51.*

tera, quæ quinto Concilio Toletano in-  
serta est. Varia etiam carmina, Hy-  
mnos, & Epitaphia scripserat. Item *Felix ap.*  
multæ extabant ipsius Epistolæ, Sermo- *Boll.*

nes, Missæ & Orationes in omnia totius  
anni Festa distributæ. Sedem Toleta-  
nam obtinuit annis decem uno mense &  
diebus septendecim, & e vivis abiit sex-  
to Martii anno Egicæ Regis tertio Æra  
728. seu anno 690. Ecclesia S. Juliani *Mart. Rom.*  
honorat memoriam octavo Martii eique *8. Mart.*  
Sisbertus successit.

§. XLII.

*S. Wilfridi Labores.*

Sanctus Wilfridus ab Agathone Papa  
absolutus, & in Angliam reversus,  
Egfridum Nordhumbriæ Regem, a quo  
li 4 expul-

Sæculum VII expulsus fuerat, adiit, & Sacræ Sedis De-  
 A. C. 688. cretum a toto Concilio Romano signa-  
 tum cum Bullis & Sigillis obtulit. Rex  
 Optimates & Clericos convocavit, at-  
 que has litteras coram omnibus legi jus-  
 sit. Illi, cum ista Mandata in rem ipso-  
 rum non facerent, rejectis his Bullis di-  
 xerunt, pecunia fuisse extortas. Itaque  
 Wilfridus jussu Regis, & sententia illo-  
 rum Episcoporum, qui ejus Diœcesim  
 occupabant, ad carcerem & novem men-  
 sium captivitatem damnatur. Omnia,  
 sola veste, qua tegebatur, excepta S. Vi-  
 ro adimuntur, pelluntur familiares, &  
 amici, ne afflictum inviserent, arcentur.  
 Regina Ermenburga Reliquias Episcopi  
 collo detractas, domi in suo cubiculo, &  
 iter faciens in vehiculo suspendit.

c. 34.

Cum primo S. Wilfridus carcere ad-  
 modum obscuro fuisset inclusus, custo-  
 des Psalmos canentem audiebant, & ter-  
 rificam lucem videbant. Rex promisit,  
 partem Episcopatus sui ei se redditurum,  
 si Bullæ Pontificis renunciare vellet, cui  
 ille respondit; malle se vita privari. Ac-  
 cidit deinde, ut Vir Sanctus aqua bene-  
 dicta sanaret uxorem carceri præfecti,  
 qui, beneficio delinitus, noluit ultra ca-  
 ptivum custodire; hinc Rex in alium  
 carcerem deduci jussum vinculis ferreis  
 ligari præcipit, at nunquam corpori ejus  
 includendo apta fabricari potuere, sem-  
 per

c. 35.

c. 36.

per vel ampla nimium vel arcta inventa. Sæculum VII  
A. C. 688.  
Tandem, Regina subito morbo correpta in Monasterio, cui præerat Eba Regis Propinqua, S. Abbatissa, quantam injuriam S. Wilfrido faceret, Regi ob oculos posuit, permovitque, ut libertate donaret, suasque ei Reliquias, & Socios redderet.

c. 37.

Ut primum S. Wilfridus liber fuit, in Regiones Saxonum, ad Meridiem & Occidentem positurum peregrinatus, Evangelium prædicavit; nam Ethelwaldus Rex ad meridiem ante breve tempus in Regione Merciorum, Wulfero Rege excitante, qui eum e sacro fonte levaverat, baptizatus fuerat, sed totus ejus populus adhucdum erat infidelis. Ergo S. Wilfridum, gratissimum sibi hospitem, honorifice excepit, & docentem avidè auscultavit. Vir Sanctus, in medio Infidelium istorum versatus, initio prædicationis eos ad sinceram pœnitentiam hortabatur. Tum per spatium aliquot mensium prolixè Opera Dei a Mundi principio usque ad diem Judicii enarrabat. Unde aliqui ultro Idololatriam damnabant, alii Regis Mandatis obtemperabant, atque sæpius factum, ut uno die aliquot millia hominum baptizarentur. S. Wilfridus Optimates & militum Duces, & quatuor Presbyteri, pii laboris Socii, reliquum vulgus baptizabant.

Ii 5

Cete-

Sæculum VII  
A. C. 688.

Ceterum S. Wilfridi Prædicatio Do-  
nis Gratia sensibilibus confirmabatur.  
Ab annis jam tribus in illa Regione plu-  
via solum non irrigaverat; unde tam  
dira fames orta, & incolæ usque adeo in  
desperationem acti, ut homines numero  
quadraginta vel quinquaginta manus  
jungentes se se in mare præcipitarent.  
Verum ex illo die, quo baptismum reci-  
pere cœperunt, imbre leniter decedente,  
rediit agrorum fertilitas, & annonæ a-  
S. Wilfridus. bundantia. Erant homines illi piscatu-  
ræ adeo rudes, ut solas anguillas cape-  
rent, & artem alia piscium genera ca-  
piendi ignorarent. S. Wilfridus omnis  
generis pisces capere edocuit.

*Eddi. c. 40.*  
*Bed. IV. c. 16*

Prædio in Peninsula octoginta septem  
familiarum, tunc Seleusa, & hodie *Sel-*  
*sey* dicto, a Rege dono accepto, funda-  
vit ibi Monasterium, & munere Episco-  
pali functus est annis quinque, nempe  
ab anno 680. quo Roma rediit, usque ad  
annum 685. quo Egfridus Rex Nordhum-  
briæ e vita migravit. Posteriore tem-  
pore istud Monasterium *Selsey* in Sedem  
Episcopalem evectum est. Illo temporis  
spatio S. Wilfridus adjuvit Ceduallam  
Regem Saxonum Occidentalium patria  
pulsus, qui eodem anno 685. restitutus  
S. Virum ad se vocavit, ejusdem consilio  
usus, eique quartam partem Insulæ *O-*  
*vich*, quam totam Infideles incolebant, do-  
navit.

navit. S. Episcopus, Clericum Bernui-  
 num Nepotem suum cum Presbytero il-  
 luc missum ad hos populos converten-  
 dos incumbere iussit.

Sæculum VII  
 A. C. 688.

## §. XLIII.

*S. Cutbertus Episcopus.*

Egfridus Rex ultimo vitæ suæ anno S. *Bed. IV. hist.*  
 Cutbertum, in parva Insula vicina, *c. 27.*  
 quæ Farnia dicebatur, vitam Anachore- *Id. vit. S.*  
 ticam ducentem, Episcopum Lindisfar- *Cutb. c. 4.*  
 nensem ordinari iussit. Is a pueritia ad *Act. SS. Ben.*  
 serviendum Deo vocatus fuerat; nam *to. 2. p. 877.*  
 cum esset pastorculus, & noctu gregem *Boll. 20.*  
 custodiens preces ad Deum funderet, vi- *Mart. to. 8.*  
 dit S. Aidani animam ad Cœlos ascende- *p. 93.*  
 re, eaque visione commotus, Monachi  
 habitum induit in Abbatia *Mailros*,  
 quam, in Regione Merciorum sitam, Hi-  
 berni Monachi incolebant. Ex illis Mo-  
 nachis unus fuit, qui ad fundandam Ab-  
 batiam Ripponensem missi sunt; post-  
 quam vero eadem Abbatia S. Wilfrido  
 data fuisset, discessit cum ceteris, qui  
 Ritum Hibernorum sequebantur, &  
*Mailros* rediit, ubi post breve tempus  
 Prior constitutus est. Non nunquam e  
 Monasterio exibat, & ad loca remota &  
 inaccessa se conferebat ad informandos  
 agricolas, a ceteris Clericis omnibus ob  
 paupertatem & morum asperitatem de-  
 spectos. Interdum per tres septimanas  
 aut

*Sup. Lib.*  
*XXXVIII.*  
*§. 19.*

*c. 7. 8.*

*c. 9.*

Sæculum VII aut mensẽ integrum inter eos commo-  
A. C. 688. ratus, necdum Christianos baptizabat.

6. 16. Multis præterea clarebat miraculis. Ab  
 Abbate suo ad Monasterium Lindisfar-  
 nense deinde missus, dissolutæ vitæ Mo-  
 nachos mansuetudine & patientia ad fru-  
 gem reduxit. Missam celebrans, aut  
 peccata confitentium audiens lacrymis  
 madebat.

6. 17. Postquam annis duodecim Prioris  
 munus Lindisfarniæ gessisset in Farniam  
 Insulam se recepit, ut in solitudine vive-  
 ret. Ibi labore manuum suarum susten-  
 tabatur, de cultu corporis tam parum  
 sollicitus, ut aliquot annis nunquam ni-  
 si in Cœna Domini ad lavandos pedes suos  
 calceamenta deponeret. In eo quoque  
 loco aliquot editis miraculis fulsit.

t. 18. 19.

Tandem S. Cutbertum, jam plurimis  
 annis in hac solitudine versantem, Patres  
 Concilii, a S. Theodoro Cantuariensi,  
 Rege Egfrido præsentem, anno 684. cele-  
 brati unanimi consensu Episcopum Lin-  
 disfarnensem elegerunt; quia vero cur-  
 sores iterato missi permovere non pot-  
 erant, ut e Monasterio suo prodiret, ne-  
 cesse fuit, ut ipse Rex cum S. Tremuino  
 Episcopo Pictorum, & plures alii viri  
 spectatissimi ad eum venirent, qui tamen  
 non nisi difficillime persuaserunt, ut con-  
 sentiret. Ordinatio ipsius, in annum  
 sequentem dilata, postea præsentem Rege  
 Ebo-

Eboraci in Die Paschæ vigesimo sexto Sæculum VII  
 Martii, anno 685. Episcopis septem, qui A.C. 688.  
 bus S. Theodorus præerat, assistentibus  
 celebrata est. S. Cutbertus jam Episco- vit. c. 26.  
 pus Monasticum rigorem non dimisit, &  
 maxima tamen cura populum suum in-  
 struxit. Totam suam Dioccesin atque  
 etiam viles pagos perambulabat, monita  
 rudibus salutaria dabat, manus neo-ba-  
 ptizatis imponebat, ut acciperent Gra-  
 tiam Spiritus Sancti, id est, Confirmatio-  
 nem tribuebat. Multis itidem tempore  
 Pontificatus sui editis prodigiis præfer- c. 39. hist.  
 tim ægrotos sanando, post annos duos, c. 29.  
 nempe 687. die Mercurii vigesimo Martii, Mart. Rom.  
 quo Ecclesia ejus memoriam veneratur, 20. Mart.  
 ad cœlestem coronam recipendam e cor-  
 pore migravit.

## §. XLIV.

*S. Wilfridus restitutus.*

Interea S. Theodorus Cantuariensis, o-  
 ctogenario major, & frequentibus mor- Eddi. c. 41.  
 bis afflictus, cum S. Wilfrido reconcilia-  
 ri cuperet, misit, qui eum & Erconbal-  
 dum seu Archambaldum loci Episcopum  
 invitarent, ut Londinum ad se venirent.  
 His totius vitæ suæ confessionem expo-  
 nens, vultu deinde ad S. Wilfridum  
 converso, dixit: *Nil magis pœniten-*  
*tem me torquet, quam consensus Regum*  
*voluntati datus, ut Bonis tuis spoliareris,*  
 &

Sæculum VII & in exilium, nulla tua culpa, mittere-  
 A. C. 688. vis. Confiteor hoc peccatum Deo & S.  
 Petro, vosque ambos testes compello, pro-  
 positum mihi esse, ad delendum hoc pecca-  
 tum facere, quæcunque potuero, ut cum  
 Regibus & Optimatibus amicis meis in  
 gratiam redeas. Deus mihi revelavit,  
 moriturum me, antequam hic annus præ-  
 tereat; hinc, obtestor te! patere, ut te-  
 dum adhuc spiro, Sedis meæ Archiepisco-  
 pum constituam. Scio enim, tuæ na-  
 tionis neminem in omnibus Scientiis &  
 Romanorum Disciplina te melius instru-  
 etum esse. S. Wilfridus respondit: Deus  
 & S. Petrus ignoscant tibi discordiam  
 nostram. Nunquam cessabo Deum orare  
 pro te amico meo. Istud vero emendati-  
 onis tuæ principium sit; litteras ad omnes  
 amicos tuos mitte, & fac, ut aliquam  
 Bonorum meorum partem juxta Decre-  
 tum S. Sedis mihi reddant. De eli-  
 gendo tibi Successore in ampliore con-  
 ventu deinde deliberabimus.

S. Theodorus, ut his promissis sta-  
 ret, Alfrido Nordhumbriæ Regi, qui Fra-  
 tri suo Egfrido anno 685. successerat, scri-  
 psit. Ad Ethelredum quoque Regem  
 Merciorum, ad Elfredam Abbatissam  
 Streneshalensem aliosque amicitia vincu-  
 culo sibi conjunctos litteras dedit. His  
 litteris acceptis Rex Alfridus S. Episco-  
 po, anno secundo Regni sui, id est, sub  
 finem

Bed. IV. hist.  
 c. 16.  
 Eddi. c. 42.

finem anni 686. revocato, primum Mo-  
 nasterium suum Hagustaldense, paulo  
 post Sedem Episcopalem Eboracensem,  
 & Monasterium Riponense, exteris Epis-  
 copis, qui in ejus locum intrusi fuerant,  
 pulsis, restituit. Ita S. Wilfrido per an-  
 nos quinque quieto esse licuit.

Sæculum VII  
 A. C. 689.

§. XLV.

*Cedualla & Ina Reges Saxonie  
 Occidentalis.*

Cedualla Rex Saxonie Occidentalis,  
 qui olim S. Wilfridum humanissime  
 susceperat, Regno post lapsum duorum  
 annorum, id est, anno 688. dimisso, Ro-  
 mam profectus est, ante Sepulchra Apo-  
 stolorum baptizari cupiens, & confestim  
 ad vitam æternam transferri. Utrum-  
 que precibus servi sui Deus dedit. Nam,  
 cum Romam pervenisset, Sabbati sancto,  
 decimo Aprilis, anno 689. baptizatus  
 est a Sergio Papa, qui ei Petri nomen im-  
 posuit, & mox correptus morbo, adhuc  
 vestem candidam gerens, vigesimo ejus-  
 dem mensis anno vitæ circiter trigesimo,  
 mortem oppetiit. Papa jubente duo E-  
 pitaphia in ejus Laudem, unum latinis  
 versibus, alterum prosa, concinnata. Ce-  
 duallæ in Regno Saxonie Occidentalis  
 successit Ina, qui convocatis Optimati-  
 bus & viris sapientibus, Episcopis quo-  
 que

Be. V. hist.  
 c. 7. & epist.

Sæculum VII que duobus Hedda, & Erchembaldo præ-  
 A. C. 689. sentibus in Bonum populi sui Leges edi-  
 dit. Has inter Notatu digniores sunt,  
 quæ ad Religionem pertinent, sequentes:  
 to. 6. Conc. Parvuli post nativitatem intra unum  
 p. 1224. mensem baptizentur. Si Servus Die Do-  
 c. 2. minica, præcipiente Domino suo, opera-  
 c. 3. tus fuerit, liber esto. Si liber, liberta-  
 c. 4. tem perdat. Primitiæ seminum ad Fe-  
 c. 6. stum S. Martini Ecclesiæ tribuantur. Si  
 quis in Ecclesia cum adversario pugna-  
 verit, centum viginti solidis mulctetur.  
 Eadem pœna puniatur, qui coram Epis-  
 c. 7. copo falsum testimonium dixerit, aut qui  
 c. 9. in urbe Episcopali pacem turbaverit. Si  
 quis Filiolum occidat, vel Patrinum, par-  
 ricidarum mulctam det. Quippe hæc Le-  
 c. 11. ges sicut & aliæ Barbarorum Princi-  
 pum non nisi mulctas pecuniarias im-  
 perant.

Illo ferme tempore Benedictus Bis-  
 copius in suo Monasterio Viromuthen-  
 si, cum illud rexisset annis sexdecim,  
 vit. lib. I. n. I. mortuus est. Extremo morbo decum-  
 to. 2. Act. bens sæpe Fratres hortabatur, ut Regu-  
 SS. Ben. p. lam ipsis a se traditam fideliter servarent,  
 1007. quod eam ex Regulis septendecim Mo-  
 Boll. 12. nasteriorum, in quibus iter faciens fue-  
 Jan. to. I. rat diversatus, excerpisset. Monuit, ut  
 pulcherrimam & amplissimam Bibliotheca-  
 cam, quam Roma ad utilitatem Ecclesiæ  
 suæ attulerat, conservarent, nec libros  
 destrui,

destrui, aut dissipari paterentur. Prohibuit, ne in Electione Abbatis generis rationem haberent, sed tantum morum, præcepitque, ut in hoc negotio Regulæ Magni S. Benedicti obtemperarent. Ad didit singulare mandatum, ne eligerent fratrem suum, quem eo munere judicabat indignum. Obiit Vir Sanctus anno 690. duodecimo Januarii, quo die Ecclesia ejusdem memoriam colit.

Sæculum VII  
A. C. 690.

Mart. Rom.  
12. Jan.

## §. XLVI.

*S. Theodori Cantuariensis Obitus.*

Eodem anno ad cœlestia evolavit S. Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, annos natus octoginta octo, postquam Episcopus fuisset annis viginti duobus. Sepultus est in Ecclesia S. Petri prope Antecessores suos, ejusque memoria, die obitus, decimo nono Sept. celebratur. Ceterum is inter Latinos omnium primus Librum Pœnitentialem, id est, Collectionem Canonum, ad pœnitentiam diversis peccatis præscribendam, composuit. Multi hos Canones descripserunt, & ejusmodi collectiones compilarunt, postea Collectioni Theodori adjunctas; hinc genuina vix dignosci potest. Illud satis videtur constare, quædam Capitula seu Articulos numero centum viginti, qui summam Disciplinæ Græcorum Latinorumque exhibent,

Bed. V. hist.  
c. 8.

Mart. Rom.  
19. Sept.

Hist. Eccles. Tom. IX.

Kk

ipsius

Sæculum VII ipsius esse opus. In iis præ ceteris nota digna hæc inveni: Neo-Baptizati septem diebus velamen capiti eorum impositum gestabant, quod deinde Presbyter tollebat. Non licebat Baptizatis cum Catechumenis comedere. Die Dominica Christiani non vehebantur rati- bus, non equitabant, non coquebant panem. Ex vita S. Cutberti discimus, Reginam ipsam non fuisse solitam Die Dominica vehiculo uti. Sanguinem, aut animalia suffocata non comedebant.

*vit. S. Cutb.* Græci omni Die Dominica etiam Laici communicabant, & qui tribus Dominicis non communicaverant, excommunicabantur. Quamvis Pœnitentes secundum Canones, non oporteret communicare, nihilominus per misericordiam cœptum est, iis hanc licentiam post annum vel sex menses dare. Neo-Conjuges abstinere se ab Ecclesia triginta diebus; quibus transactis pœniteant quindecim diebus, antequam communicent. Mulieribus non ante quadragesimum post partum diem Ecclesiam ingredi liceat. Qui oblationes pro mortuis afferebant, etiam jejuna- re tenebantur.

Infantes in Monasteriis usque ad annum decimum quartum carnes manducant. Pueri anno ætatis decimo quinto, puellæ decimo sexto Monasticum Institutum amplecti poterant. Abbas a Mon-

A. C. 690.

to. 9. *Spicil.*

to. 6. *Conc.*

*App. p. 1875.*

c. 2.

c. 86.

c. 7.

*vit. S. Cutb.*

c. 27.

c. 10. 19.

c. 12.

c. 16.

c. 21.

c. 19. 77.

c. 34.

Monachis eligatur, & in sua ordinatione detur ei Baculus pastoralis. Monachi Græci non habebant mancipia, Latini vero habebant. Jam illa ætate multum de pœnitentiæ rigore fuerat relaxatum. Tempus longissimum, ut si quis homicidium voluntarium commisisset, non ultra septem annos extendebatur, vel tali arma ferre non amplius licebat. Si quis fornicatus fuerit cum virgine, uno anno pœniteat. Si cum nupta tribus annis. Si quis se ipsum occiderit propria voluntate, orare pro eo liceat, sed non Missas facere. Qui ordinati sunt a Scotorum, id est, Hibernorum & Britonum Schismaticorum Episcopis, manuum impositione ab Episcopo Catholico iterum confirmentur, & Ecclesiæ eorum reconcilientur. Britonibus non ante S. Chrisma vel Evcharistia detur, quam Ecclesiæ fuerint reconciliati.

Sæculum VII  
A. C. 690.

c. 118.

S. Theodori.

Capitula.

c. 3.

c. 4.

c. 53. 108.

c. 55.

c. 63.

c. 80.

S. Theodori in Sede Cantuariensi Successor fuit Britoaldus, antea in Monasterio Raculfi in Regione Cantiorum Abbas, vir in Scripturis versatus atque in Disciplina Ecclesiastica & Monastica exercitatus, sed nihilominus Antecessori suo impar. Non prius quam elapsis duobus annis ab obitu S. Theodori, scilicet, primo die Julii anno 692. electus, & iterum post annum Die Dominica, 29. Junii, anno 693. a Goduino Archiepiscopo Lugdunensi

Bed. V. hist.

c. 9.

Att. SS.

Ben. to. 3.

p. 526.

Kk 2

dunensi

**S**æculum VII dunensi consecratus est. Legitur Archi-  
 A.C. 690. episcopus Britannia a Sergio Papa ordina-  
 Anast. in tus; quod forte aliud non significat,  
 Serg. quam ipsum ab eo Pallium accepisse.  
 Primus is fuit ex Gente Anglorum Can-  
 tuariensis Archiepiscopus, & Sedem hanc  
 annis triginta septem obtinuit.

## §. XLVII.

*S. Suitbertus in Frisia.*

tom. 3. Act. **S**ede Cantuariensi vacante S. Suitbertus  
 Ben. p. 487. ordinatus est Episcopus Frisonum, ad  
 Ben. V. hist. quos a S. Egberto missus fuerat. Egber-  
 c. 10. tus erat nobilis Anglus, qui in Hiber-  
 niam trajiciens, Institutum Monasticum  
 suscepit. Sacerdotio initiatus & plenus  
 ferventi zelo, anno 686. in Frisiam navi-  
 gare constituit ad convertendos Germa-  
 nos, unde Angli originem trahebant; &  
 quamvis terrerent eum sinistri omnis  
 somnia, quæ a Deo immissa credebat, ni-  
 hilominus navigium conscendit; sed cum  
 vix portu provectus ægre naufragium  
 evasisset, abjecto hoc proposito, postea  
 Schismaticis Hibernis reconciliandis uti-  
 c. 2. lissimam navavit operam. Aliquis Socio-  
 Ben. V. c. 10. rum ejus, nomine Wigbertus, qui & ipse  
 longo tempore in Hibernia vitam Ana-  
 choreticam magno perfectionis studio  
 duxerat, conscenso navigio in Frisiam  
 trajecit, & annorum duorum spatio huic  
 Nationi & Regi ejus Radbodo Evange-  
 lium

lium prædicavit; at videns, sterilem esse Sæculum VII  
laborem, rediit in Hiberniam, ut Deo in A. C. 690.  
silentio serviret, & saltem Discipulis suis

bono exemplo prodesset.  
S. Egbertus, etiamsi ipse in Frisiam  
navigare non potuisset, & Wigbertus in  
illa Regione frustra operam consumpsis-  
set, ut tamen nihil relinqueret intentat-  
um, plures illic viros virtute conspicuos,  
& zelo animarum flagrantes mittere de-  
crevit. Ergo duodecim viros elegit,

quorum princeps fuit Willebrodus Ang-  
lus in Nordhumbria circa annum 658. na-  
tus. Eum anno ætatis suæ sexto vel vit. per. Al-  
cui. to. 3. p.  
605.

septimo ad Abbatiam Riponensem Pa-  
rens deduxerat, ubi sub Disciplina S. Wil-  
fridi educatus, postea vitam Monasticam  
professus est. Annum agens vigesimum  
anno Christi circiter 678. consentiente  
Abbate suo inde egressus in Hiberniam  
profectus est, sub Sancti Egberti Regimi-  
ne ad altius perfectionis Religiosæ fasti-  
gium eluctaturus. Presbyter erat, &  
annos vitæ numerabat ferme triginta,  
quando in Frisiam missus est ab eodem  
S. Egberto, qui usque ad annum 729. su-  
perstes, obiit nonagenarius vigesimo  
quarto Aprilis, quo Ecclesia ejus celebrat

memoriam. Missionarios duodecim in  
Frisiam anno 690. appulso perbenigne  
exceptit Pipinus, Dux Francorum & Ma-  
jor Domus Regiæ, cognomento Heristal-  
lus.

c. II.

*Bcd. V. hist.*  
c. 12.*Martyr. R.*  
24. April.S. Viri in Brit-  
tannia.

K k 3

lus.

Sæculum VII A. C. 690. lus. Is ante brevissimum tempus Radobodo Frisiam citeriorem inter fluvios Rhenum & Mosam positam armis victricibus eripuerat, hinc Sanctos viros suo Patrocinio tutos illo misit, Verbum Dei prædicaturos. Editis mandatis prohibuit, ne quis obstaculum poneret, & beneficia largius illis contulit, qui Fidem amplectebantur, hinc factum, ut maximus Idololatrarum numerus brevi temporis spatio converteretur.

Tunc igitur Missionarii e gremio suo elegerunt Suitbertum, qui Episcopus ordinaretur. Priusquam in Frisiam proficisceretur, Presbyter erat & Abbas Monasterii Dacorienſis in Regione Scotiæ maxime propinqua positi. Cum eum Socii in Angliam remisissent, & Sedem Cantuariensem illo intervallo, quod inter S. Theodori mortem & Britovaldi Ordinationem nempe anno 692. fluxit, vacantem invenisset, S. Wilfridum Archiepiscopum Eboracensem adiit, tunc temporis in Regione Merciorum Exulem, qui eum Episcopum ordinavit. In Germaniam redux ad Bructeros seu Boructuarios, populos prope Coloniam habitantes delatus, multos convertit; sed brevi post, iisdem populis a Saxonibus devictis, & novellis Christianis in diversa sparsis, S. Suitbertus ad Pipinum confugit, qui Plectrudis uxoris suæ precibus

S. Suitbertus.

bus motus Sancto Viro Insulam in Rhe-  
no, nobili fluvio, sitam donavit, ubi ille  
Monasterium primo Werdam & deinde  
Cæsaris-Werdam, id est Cæsaris Insulam  
dictum condidit. Obiit in hoc Monaste-  
rio S. Suitbertus anno 713., *cujus me-*  
*moriam Ecclesia primo die Martii colit.*

Sæculum VII  
A. C. 691.

*Martyr. R.*  
*I. Mart.*

S. Wilfrido in Sedem suam restitu-  
to, antiquarum rixarum fomites iterum  
accensi. Jam Regi Alfrido acceptus,  
jam invisus erat. Dicebant aliqui, Mo-  
nasterium Riponense Fundis & Ditio-  
nibus suis esse privandum. Alii, esse in  
Sedem Episcopalem erigendum, violata  
libertate ab Agathone Papa concessa.

*Sup. S. 41.*  
*Eccli c. 43.*

Alii denique volebant, ut S. Episcopus  
Decretis, quæ Archiepiscopus Theodo-  
rus tempore veteris discordiæ ediderat,  
se subjiceret. S. Wilfridus itaque, cum  
in his omnibus Regis voluntati obsecun-  
dare non posset, annis quinque exactis,  
nempe a. 691. iterum ex Nordhumbria  
pulsus ad Regem Merciorum Ethelre-  
dum, amicum suum, se recepit, qui ho-  
nорifice exceptum, Episcopatu Lichfel-  
diensi, tunc morte Episcopi Sexulsi va-  
cante, donavit.

§. XLVIII.

*Concilium Cæsaraugustanum ter-  
tium.*

In Hispania eodem anno 691., *Registo. 6. Conc.*  
*Egicæp. 1311.*

Kk 4

Sæculum VII Egicæ quarto, æra 729. Casaraugusta  
A. C. 691. celebratum, quod tertium habetur, ubi

c. 1.

c. 3.

c. 4.

Sup. §. 38.

quinque Canones conditi. In primo  
statuitur: Episcopi alia die quam Domi-  
nica Ecclesias non consecrent. In Mo-  
nasteriis Sæculares homines non diver-  
sentur, sed solum pauperes, qui ex offi-  
cio Charitatis suscipiendi sunt. Liberti  
Ecclesiæ mortuo Episcopo litteras manu-  
missionis suæ Successori ejus exhibere te-  
neantur, ni faciant, iterum servire co-  
gantur. Prius autem necesse est, ut ab  
Episcopo moneantur, ne vexationibus  
occafio detur. Ultimus Canon præ ce-  
teris notari meretur, hujus ferme teno-  
ris: *Vidua Regum non solum ad secundas  
nuptias transire probibeantur, quod jam  
ante in tertio Concilio Toletano statutum  
fuerat, sed Habitum Monialium induere,  
& in Monasterio per reliquum vitæ tem-  
pus permanere teneantur.* Hujus Decre-  
ti rationem reddunt Patres, quod in Sæ-  
culo manentibus congrua Reverentia  
non haberetur; imo de sordidis infecta-  
tionibus non essent securæ. (\*)

§. XLIX.

(\*) Hier hebet der Protestant eine Anmerkung  
mit diesen Worten an: Dieser letzte Satz leget  
einen Beweis ab, was für Dinge die Concilia  
sich heraus genommen, und wie sie sich er-  
führet, über die geheiligten Personen der  
Maje

## §. XLIX.

Sæculum VII

A. C. 692.

*Concilium in Trullo.*

Cum ultima duo Concilia Oecumeni-  
ca nullos condidissent Canones, vi-  
sum est Orientalibus post elapsos annos  
undecim, nempe anno 692. Indictione  
quinta, sextum Concilium in hac parte  
supplere. Hoc ergo consilio Justinianus  
Imperator convocavit Synodum, cui  
Episcopi ducenti & undecim interfue-  
runt. Inter ceteros eminebant quatuor  
Patriarchæ Paulus Constantinopolitanus,  
Petrus Alexandrinus, Anastasius Jeroso-  
lymitanus, & Georgius Antiochenus.  
Tum in Subscriptionibus leguntur Joan-  
nes Justinianopolitanus, Cyriacus Cæsa-  
riensis in Cappadocia, Basilius Gortynen-  
sis in Creta, qui dixit, se totius Concilii  
Ecclesiæ Romanæ vicem gerere, quod  
etiam cum subscriberet sexto Concilio,  
dixerat. Aliunde autem constat, in isto

to. 6. Conc.  
p. 1124.Anast. in  
Sacrae Serg.

K k 5

Majestäten zu disponiren. Allein er läſſet nur  
seiner Schmähsucht wider alle Concilien und Ka-  
tholische Bischöfe den Zügel, und leget an Tag,  
daß er ein ungeschickter Kriticker sey. Er hätte  
sich erinnern sollen, daß der Herr Fleury die An-  
merkung gemacht; die Bischöfe in Spanien hätten  
solche Dinge nicht aus angemessener Macht, sondern  
auf das Verlangen und die Einwilligung der Kö-  
nige und der Grossen des Reichs verordnet.

Sæculum VII Sacrae Sedis Legatos adfuisse. (\*) Concilium hoc in Aula Palatii Cæsarei, latine in Trullo, unde nomen hæsit, etiam si Latine Quinisextum & Græce *Pentecty*, appellatur; ac si quis diceret, Quinto-Sextum, ut indicaret, esse solummodo duorum præcedentium Conciliorum Supplementum; quamvis omnino sit Concilium distinctum.

p. 1136. In eo igitur Concilio propositum sibi habebant Corpus Disciplinæ Ecclesiasticæ colligere, quo tota Ecclesia uteretur, illudque in centum & duos Canones dividerunt. Canone primo profitentur Episcopi, quod Fidem Apostolorum & sex Conciliorum Oecumenicorum teneant, & Errores, Personasque, quæ in iis condemnantur, nominatim condemnant. Deinde antiquos Canones enumerant, quos observari volunt, scilicet Canones octoginta quinque, qui Apostolis tribuebantur, sed Constitutiones, quæ tribuebantur S. Clementi, tanquam ab Hæreticis adulteratæ, rejiciuntur. Recipiuntur Canones Niceni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodicensi, item Conciliorum

(\*) In Admonitione ad Lectorem ante hoc Concilium Editionis Parisiensis p. 1646. tom. III. leguntur hæc verba: *in quibus (Episcopis) nemo plane est, qui nomine Romani Pontificis interesset.*

rum universalium Constantinopolitani, Sæculum VII  
 Ephesini, Calcedonensis, Sardicensis, Car- A. C. 692.  
 thaginensis, & Concilii Constantinopoli-  
 tani sub Nectario & Theophilo Alexan-  
 drino. Hoc Concilium aliud non est,  
 quam illud anno 394. in dedicatione Ec-  
 clesiæ Rufini celebratum; sed illos Ca-  
 nones non habemus. Præterea Conci-  
 lium approbat Epistolas Canonicas S. *Sup. l. XIX.*  
 Dionysii, & S. Petri, Alexandrinorum, *§. 51.*  
 S. Gregorii Thaumaturgi, S. Athanasii,  
 S. Basilii, S. Gregorii Nysseni, S. Grego-  
 rii Nazianzeni, S. Amphilocho; Timo-  
 thei, Theophili & S. Cyrilli Alexandrino-  
 rum, Gennadii Constantinopolitani, &  
 tandem Canonem a S. Cypriano pro so-  
 la Ecclesia Africæ editum. Non facile  
 dispicias, de quo Canone hic sermo sit;  
 nisi forte de Præfatione S. Cypriani ad *Sup. l. VII.*  
 Concilium, ubi dicit, nullum præsume- *§. 29.*  
 re, ut Episcopus Episcoporum esse, aut  
 Collegas suos more Tyrannorum ad obe-  
 dientiam compellere velit. Concilium  
 prohibet, ne alii Canones sub spuris Ti-  
 tulis supponantur.

§. L.

*Matrimonium Clericorum.*

Tum Concilium ad particularia descen-  
 dit, & initium faciens a puritate Cle-  
 ricorum, dicit: *Romani Regulæ exacte*  
*inhærent; qui vero ad Ecclesiam Constans-*  
*tinopo-*

Sæculum VII *tinopolitanam* pertinent, magis ad illud  
 A. C. 692. quod humanitatis & Misericordiæ est, at-  
tendunt. Utrumque miscemus, ut vite-  
 mus extrema. Itaque qui usque ad deci-  
 mum quintum *Januarii*, ultimæ Indictio-  
 nis quartæ, anno 6199. duplici Matrimo-  
 nio implicati fuerunt, deponantur. Illi  
 vero, qui ante illum diem ab illicito con-  
 gressu se continuerunt, ordinem suum ser-  
 vent, illa tamen conditione, ut eis omne  
 officium interdictum sit. Indictio quar-  
 ta & annus 6199. a Creatione Mundi, se-  
 cundum Græcos anno Jesu Christi 691.

Can. Apost. respondet. Episcopi deinde prosequun-  
 16. 17. tur: *Abhinc definimus, & renovamus Ca-*  
*nonem, qui dicit, non esse ordinandum*  
*Episcopum, Presbyterum, Diaconum vel*  
*in quocunque gradu Sacerdotali, qui se-*  
*cundas nuptias inierit, aut qui post sus-*  
*ceptum Baptismum Concubinam habuerit,*  
*aut qui viduam, repudiatam, meretricem,*

Can. Trull. 6. *vel Scenicam duxerit.* Et quia secundum  
 Apost. 25. *Canones Apostolorum solis Lectoribus &*  
*Cantoribus permissum est post suam Ordi-*  
*nationem matrimonium inire, id quoque*  
*deinceps Subdiaconis, Diaconis & Presby-*  
*teris sub Depositionis pœna prohibemus.*  
*Si quis eorum uxorem ducere velit, mu-*  
*lierem accipiat, antequam bis ordinibus*  
*initietur.*

Can. Trull. *Scimus in Ecclesia Romana Regulari*  
 13. a. *observari, ut promovendi ad Diaconatum*

vel Presbyteratum profiteantur, se non  
 amplius suis uxoribus conjungendos; nos Sæculum VII  
A. C. 692.  
 vero antiqui Canonis Apostolici perfectio-  
 nem servantes, hominum, qui sunt in Sa-  
 cris, conjugia firma esse volumus, nec eos  
 uxoribus consuetudine tempore convenien-  
 ti privamus. Quamobrem si quis dignus  
 inventus fuerit, qui Subdiaconus, Diaconus,  
 vel Presbyter ordinetur, is ad talem  
 gradum assumi nequaquam prohibeatur,  
 si cum legitima uxore cobabitet; sed ne-  
 que Ordinationis suæ tempore ab eo postu-  
 letur, ut promittat, se a legitima cum  
 uxore consuetudine abstinere velle, ne a  
 Deo constitutas, & sua præsentia benedi-  
 ctas nuptias injuria afficiamus. Scimus  
 etiam Patres Concilii Carthaginensis de-  
 crevissent, ut Subdiaconi, Diaconi, & Pres-  
 byteri statutis temporibus, secundum pro-  
 prios terminos, a Consortibus suis absti-  
 neant, ut, & quod ab Apostolis traditum  
 est, in omni re tempus servemus, præsertim  
 in jejuniis, & oratione; oportet enim eos,  
 qui Altari appropinquant, in Sanctorum  
 tractandorum tempore, omnino continen-  
 tes esse, ut id, quod a Deo petunt, obtine-  
 re possint. Si quis ergo fuerit ausus præ-  
 ter Canones Apostolicos Presbyterum, Dia-  
 conum vel Subdiaconum legitima cum uxore  
 conjunctione privare, deponatur. C. Ap. 5.

Illud quod in hoc Canone dicitur, in  
 Concilio Carthaginensi præceptum fuisse

se

Sæculum VII se Presbyteris, ut a commercio cum uxori-  
 bus abstinerent *secundum proprios ter-*  
A. C. 692. *minos*, in sensu perverso, seu malitia,

seu ignorantia fuit, accipitur. Canon  
 §. 43. *Conc.* hic excerptus est ex quinto Concilio  
*Carth. 5. c. 3.* Carthaginensi, anno 400. habito, ubi  
 to. 2. *Conc.* legitur, Subdiaconos, Diaconos, Presby-  
 p. 1216. teros, & Episcopos secundum priora sta-

Concilium in  
 Trullo. tuta ad abdicandam licentiam maritalem  
 Cod. *Eccles.* teneri, & ad continentiam, quam illi ser-  
*Afric. c. 25.* vant, qui uxores non habent. Jam ver-  
 tom. eod. p. sio Græca hujus Canonis verba latina:  
 1061. *priora statuta*, reddidit; *ιδιαις ὁρῆς*, quæ

voces significare possunt terminos pro-  
 prios; nam Interpres vocem *propria*  
 pro *priora* legerat, secundum aliud Exem-  
 plar. Interim Patres Concilii Trullen-  
 sis præsumperunt, Clericos vi hujus Ca-  
 nonis non nisi certis diebus ad continen-  
 tiam obligari, & cernere noluerunt, in  
 eodem Canone etiam Episcopos compre-

*Can. Trull.* hendi; atqui, ipsi Græci fatebantur,  
 12. Episcopis accessum ad uxorem omni tem-  
 pore esse interdictum; loquuntur enim  
 in hunc modum: *Cum ad nos relatum*  
*fuerit, quod in Africa & aliis locis Epif-*  
*copi cum uxoribus suis habitare etiam post*  
*ordinationem suam non recusent, ex eo po-*  
*pulis offendiculum & scandalum afferen-*  
*tes, prohibemus, ne deinceps istud audeant.*  
 6. 48. *tur.* Et infra statuunt, ut uxor illius,  
 qui

qui ad Episcopatum evectus fuit, com- Sæculum VII  
 muni sui viri consensu prius separata, A. C. 692.  
 postquam ordinatus fuerit, Monasterium  
 ingrediatur, procul ab Episcopi Domo  
 positum. Ipse autem mulieri vitæ ne-  
 cessaria conferat.

In alio Canone de Presbyteris inter c. 30.  
 Barbaros versantibus, id est, in Italia  
 & aliis Ritus Latini Provinciis loquun-  
 tur in hunc modum: *Si Apostolicum Ca-*  
*nonem de uxore non ejicienda, Religionis*  
*prætextu, violandum sibi existimant, vo-*  
*luntque ultra ea, quæ præcepta sunt, face-*  
*re, & communi consensu a mutua consue-*  
*tudine abstinere, prohibemus, ne cum uxo-*  
*ribus, quacunque demum ratione versen-*  
*tur, ut ex eo nobis perfectam sui promissi*  
*demonstrationem præbeant. Hoc autem*  
*illis non propter aliud, quam propter eo-*  
*rum pusillanimitatem, extraneosque &*  
*non satis firmos mores concedimus. Nemp-*  
*pe, si Græcis fidem habemus, imperfe-*  
 ctio est Continentiam perfectam sectari.

Ut ut vero istud se habeat, hos Ca-  
 nones Concilii in Trullo exinde Græci  
 & omnes in Oriente Christiani tanquam  
 normam universalem circa continentiam  
 Clericorum amplexi sunt, jamque ab an-  
 nis mille observantur. Scilicet, non li-  
 cet Clericis, qui in Sacris Ordinibus  
 sunt, post suam ordinationem conjugem  
 accipere. Episcopi perfectam Continen-  
 tiam

Sæculum VII tiam seruent, siue prius uxorem habue-  
A. C. 692. rint, siue cælibes fuerint. Presbyteri,  
 Diaconi, & Subdiaconi uxorem habentes, apud ipsas remaneant, & cohabitent, illis diebus exceptis, quibus Sacra Mysteria tractare debent.

## §. LI.

*Alii Canones ad Clericos spectantes.*

Porro renovantur Leges, quibus prohibentur Clerici in domo sua habere mulieres a suspitione non alienas, quod Præceptum etiam ad Eunuchoſ & Laicos extenditur. Clerici caupones non sint, cum ipsis cauponas ne quidem intrare liceat. Clerici, aut Monachi spectaculis, siue equorum curricula sint, siue scenica, non intersint. Clerici ad nuptias invitati, quando ludicra incipiunt, surgant, & discedant. Clerici nec in Civitate nec in itinere aliam vestem gerant, quam talem, quæ Status eorum sublimitatem deceat. Clerici ob crimen depositi, & ad conditionem Laicorum detrusi, si hanc pœnam sponte subierunt, Clericorum habitu tondeantur, si invitati, comam sicut Laici nutriant. Igitur jam illa ætate Clerici a Laicis habitu discernabantur, & longis capillis, (\*) ut hodie mos est, non incedebant.

Quod

(\*) In Germania Presbyteri non ita capillos nutriunt,

Quod spectat ad Jurisdictionem Episcoporum, confirmatur Canon, in quo eis Potestas in Ecclesias rurales, si in possessione triginta annorum sint, tribuitur, item Canon Calcedonensis, qui Sedi Constantinopolitanæ eadem Privilegia ac Sedi Romanæ tribuit, ita ut teneat locum secundum, Alexandria tertium, Antiochia quartum, & quintum Jerosolyma. Barbarorum, præsertim Musulmannorum incursus & latrocinia obstabant, ne Episcopi post ordinationem Ecclesiarum suarum possessionem adire, & Munere suo fungi, possent. Hinc talibus Concilium Dignitatem, & Potestatem tam Clericos ordinandi, quam in Ecclesia præsidendi conservat. Hic videmus originem Episcoporum in Partibus Infidelium. Non nullos quoque Clericos Barbarorum incursus ab Ecclesiis suis discedere coegerant. Hos Concilium, quamprimum cessaverit periculum, reverti jubet. Eadem Barbarorum incursiones tanquam causa adducuntur, quod Concilia non sæpius quam semel in anno celebrari possint.

Sæculum VII  
A. C. 692.

c. 25.  
c. 36.  
Sup. Lib.  
XXIII.  
f. 30.

Can. Trull.  
37.

c. 18.

c. 8.

§. LII.

nutriunt, ut longi dici possint, nisi in comparatione cum Monachis.

*Hist. Eccles. Tom. IX.*

L1

Sæculum VII  
A. C. 692.

§. LII.

*Sacramenta & Cæremoniæ.*

Clerici in Oratoriis, quæ sunt intra domos, non baptizent, nec Sacra faciant, sine consensu Episcopi. Nihil exigatur ab illis, quibus S. Communio porrigitur. Communicans non recipiat Eucharistiam in vase ex auro vel ex alia materia, sed in manibus suis crucis formans figuram, quia nulla materia Corpus humanum, quod Templum Jesu Christi est, pretio superat. Nullus Laicus se ipsum communicet præsentente Episcopo, Presbytero, vel Diacono. Mortuorum corporibus nemo Eucharistiam præbeat. Quia scriptum est: *accipite & comedite*. Mortuorum autem corpora nec possunt accipere, nec comedere. In Quadragesima singulis diebus, præterquam Sabbato, & Dominica & Sancto Annuntiationis die, Missa (\*) Præsanctificatorum celebretur. Missa semper a jejuno, etiam in Cœna Domini, celebretur. Uva unacum Eucharistia, quod in quibusdam Ecclesiis fiebat, populo non distribuatur, sed seorsum benedicatur, sicut primitiæ frugum solent. Mel & lac ad Altare non offerantur.

Tota

(\*) Verba Concilii sunt: mihi pag. 168a.  
*Fiat Sacrum Præsanctificatorum Ministerium.*

Tota Septimana Paschali oportet Fideles Festum celebrare, & Divinis Officiis vacare. Nec prædictis diebus aliquid publicum exhibeatur Spectaculum. Nemo tribus continuis Dominicis sine necessitate ab Ecclesia absit. Transgressores Clerici deponantur, Laici excommunicentur. Sabbato Sancto usque ad mediam noctem Fideles jejulent. Ceteris vero Sabbatis, neque in Quadragesima, secundum Canonem Apostolorum nunquam jejulent. Tum Romani consuetudinem Sabbato jejunandi dimittere jubentur. Hic Canon quoque, præter alias, causa fuit, quod istud Concilium Romæ rejectum fuerit. Fideles ova & caseum in Quadragesima non comedant, quæ comedebant Armeni, quorum aliæ præterea consuetudines damnantur; scilicet, quod vino Eucharistiæ aquam non (\*) miscerent, quod Sacerdotibus carnes coctas ad Ecclesias afferrent, & ad ordinem Clericorum illos solum admitterent, qui ex Genere Sacerdotali essent. Nemo cujuscunque animalis sanguinem comedat. Clerici, si comederint, deponantur, Laici segregentur.

Sæculum VII

A. C. 692.

c. 66.

c. 80.

c. 89.

c. 55.

Can. Ap. 65.

vid. Balsam  
in hunc c. 55

Can. Trull.

56.

c. 32.

c. 99.

c. 33.

c. 67.

Ll 2

In

(\*) Der Protestant hat es gegeben: Nämlich, im Abendmahl den Wein mit Wasser zu vermischen. Das ist gerad das Gegentheil.

Sæculum VII

A. C. 692.

c. 74.

c. 76.

c. 97.

c. 88.

c. 69.

Sup. l. XVI.

§. 48.

c. 75.

c. 81.

Sup. lib.

XXIX.

§. 31.

c. 68.

In Ecclesiis convivia, quæ *Agapes* dicebantur, non adornentur. Intra Sacros Ecclesiarum ambitus officina caponaria non struatur, nec ibi cibi, vel quæcunque aliæ merces venundentur. Sæpius notavimus, Ecclesiis multas ædes fuisse junctas, quæ uno ambitu clauderentur. Mariti uxores intra septa Ecclesiarum non cognoscant, aut quocunque alio modo hæc loca sancta profanent. Nemo intra ædem Sacram quodvis jumentum introducat, nisi forte viator quispiam, urgente necessitate, animal tectum quæsierit. Nullus Laicorum Sanctuarium, id est, intra Septa Sacri Altaris, ingrediatur, præterquam Imperator, quando voluerit Creatori dona offerre secundum antiquam Traditionem. Hujus rei exemplum vidimus, cum S. Basilius Valentis Imperatoris oblationem recepit. Qui Ecclesias ad psallendum accedunt, non incondite vociferentur, nec naturam ad clamandum urgeant, sed magna attentione & compunctione Deum laudent, nec alia, quæ Ecclesiæ non conveniunt, canant. Trisagion cantantes, non addant: *qui crucifixus es pro nobis*. Nemo audeat S. Scripturæ aut Patrum Libros corrumpere, conscindere, Unguentariis vendere, aut eos quocunque modo delere, nisi utique vel a tineis, vel ab aqua, vel ab aliquo alio redditi

redditi fuerint inutiles. Præcipitur, ut <sup>Sæculum VII</sup> Cruci congruus honor exhibeatur. <sup>A. C. 692.</sup> Pavimento, quod pedibus calcatur, Crucis <sup>c. 73.</sup> figura non imprimatur, juxta Legem Theodosii junioris. In multis Imaginibus <sup>L. un. Cod. Nem. lib. l. i. tit. 8.</sup> JESUS CHRISTUS in specie Agni, quem S. Joannes digito monstrabat, repræsentabatur. Concilium jubet, ut deinceps JESUS CHRISTUS in Forma humana tanquam magis conveniente depingatur. <sup>c. 82.</sup>

§. LIII.

*Monachi &c.*

**M**onachos, quos S. Basilius non ante annum ætatis decimum septimum recipi permittit, hoc Concilium jam anno ætatis decimo recipi vult, sub prætextu, quod Dei Ecclesia potentior ac robustior evaserit. Nulli liceat Clausuram ingredi, nisi prius annis tribus in Monasterio probatus fuerit. Non tolerantur in urbibus homines vagi, qui se dicebant esse Eremicolas, longis capillis, & vestibus nigris. Nullo crimine quicumquam prohibeatur Monasterium ingredi, cum domus istæ ad agendam Pœnitentiam sint fundatæ. Mulieres, quæ ad accipiendum habitum Monasticum accedunt, non sint indutæ vestibus pretiosis, non gemmis coruscantibus fulgeant, ne mundum invitæ relinquere videantur. Monasteria Auctoritate Episcopi semel

<sup>c. 40.</sup>

<sup>c. 41.</sup>

<sup>c. 43.</sup>

<sup>c. 44.</sup>

<sup>c. 49.</sup>

Sæculum VII consecrata ad usus profanos non conver-  
 A. C. 692. tantur, nec Sæcularibus concedantur,  
 quod non nunquam fiebat.

- c. 54. De Matrimonio statuitur: Pater &  
 Filius matrem & filiam, aut duas sore-  
 res, vel duo fratres duas sorores non du-  
 cant. Patrinus infantis matrem non ac-  
 cipiatur conjugem. Nemo accipiat alte-  
 rius sponsam. Catholici non copulen-  
 tur hæreticis. Qui congregant, & alunt  
 c. 53. Concubinas, si Clerici sint, deponantur,  
 c. 99. si Laici, excommunicentur. Nemo pin-  
 gat, quæ ad turpium voluptatum mo-  
 c. 72. vent incendia, sub pœna Excommuni-  
 cationis. Nemo capillos scite excogita-  
 t. 86. tis nexibus adornet, sub eadem pœna.  
 c. 100. Nemo cum mulieribus lavetur. Nemi-  
 ni, nec Laicis, liceat alea ludere. Mi-  
 c. 96. morum ludi, saltationes scenicæ, pugnae  
 c. 77. cum bestiis prohibentur. Qui obfessos  
 c. 50. a Dæmone se simulant, gravi labore, ac  
 c. 51. si revera essent, coerceantur.

- c. 61. Præstigiatores, & qui iis fidem ha-  
 bent, qui ursas circumducunt, Vates,  
 Circulatores, pœnitentia sexenni dam-  
 nantur. Plures aliæ Superstitiones e Pa-  
 ganismo allatæ, publicæ fæminarum sal-  
 tationes, invocatio Bachi vindemiæ tem-  
 pore, rejiciuntur. Nec fæminæ virilem,  
 nec viri muliebrem vestitum habeant.  
 Nemo audeat comicas Satyricas vel tra-  
 gicas personas induere; diversa enim  
 in

in diversis his spectaculis sumebantur. Sæculum VII  
 Nemo in Noviluniis ante tabernas vel A. C. 692.  
 domos ignes excitet, & transiliat. Non  
 liceat post Domini Nostri Nativitatis  
 diem sibi invicem similam coquere &  
 mittere in memoriam partus S. Virginis,  
 quæ absque ullis secundis peperit. Non  
 legantur in Ecclesia depravata Marty-  
 rum historiæ ad eorum probrum ab ini-  
 micis veritatis conscriptæ, sed potius  
 flammis tradantur.

c. 65.

c. 79.

c. 63.

Hæretici, quorum Baptismus judica-  
 tur validus, recipiuntur, si Libellos dent,  
 & omnem Hæresim anathematizent. In-  
 unguntur autem Sacro Chrismate in fron-  
 te, in oculis, naribus, ore, & auribus,  
 additis verbis: (\*) Signaculum Domini  
 Spiritus Sancti. Illi, quorum Baptismus  
 validus non judicatur, ut Gentiles ha-  
 bentur, primo adscribuntur Catechume-  
 nis, & deinde baptizantur. Porro in  
 discernendo Baptismo valido vel non va-  
 lido Græci hic sequuntur Regulas a S.  
 Basilio S. Amphilochio traditas. Eun-  
 dem Doctorem sequuntur in Dispensatio-  
 ne Pœnitentiæ, ut ea gravitati peccati,  
 & viribus pœnitentis conveniens sit. Hic

c. 95.

Sup. lib.  
XVII. §.

Ll 4

ultimus

(\*) Ex his videtur, Hæreticos Sacri Chri-  
 smatis unctione in Baptismo non fuisse usos, aut cer-  
 te non fuisse solitos, Sacramentum Confirmatio-  
 nis conferre.

Sæculum VII ultimus Canon est Concilii in Trullo,  
A. C. 692. cui Justinianus Imperator primus cinnabari subscripsit; id enim ejus Dignitatis Prærogativa erat. Tum locus, ubi scriberet Papa, relictus, & deinde subscripserunt quatuor Patriarchæ omnesque Episcopi, locum relinquentes, quo aliqui absentes nomina apponerent. Nomina Legatorum Papæ non visuntur, cum tamen Anastasius dicat, eos dolo deceptos subscripsisse.

*Anast. in  
Serg.*

## §. LIV.

*Papa Concilium rejicit.*

*Paul. Diac. VI.* Justinianus Imperator volens Sergium Papam compellere, ut huic Concilio subscriberet, misit unum Exemplar sex voluminum, cui ipse manu propria & deinde tres Patriarchæ Alexandrinus, Constantinopolitanus, Antiochenus, alique Præsules subscripserant, cui etiam Papa primo loco subscriberet. At Pontifex hæc Volumina nec recipere, nec aperiri voluit, ut legerentur, cum sibi persuasum haberet, nullum esse istud Concilium. (\*) Hinc Imperator magna indigna-

(\*) Eo minus etiam Summus Pontifex Concilium in Trullo seu Quinisextum tanquam legitimum recipere potuit, quod illud sine participatione Sedis Romanæ Universale appellabant; ita

dignatione commotus misso Romam officiorum Præfecto, cui nomen Sergius, Joannem Episcopum Portuensem, & Bonifacium

Sæculum VII  
A. C. 692.

L I 5

ita enim incipit Canon LI: *omnino prohibet hæc Sancta & Universalis Synodus &c.* Si enim Papæ hanc Orientalium præfidentiam diffimulassent, actum fuisset de Unitate & Hierarchia Ecclesiæ.

Necessaria veræ Ecclesiæ Notâ est unitas, & maximum Bonum, de quo, quis crederet? etiam aliquæ in Hollandia Provinciæ sollicitæ sunt. † Serenissima Princeps Anna, Georgii II. Regis Magnæ Britannæ Filia, Wilhelmi V. Principis Arausionensis vidua, Belgii fœderati Gubernatrix, mense Januario hujus anni 1759. obiit; cumque pauculis horis antequam oppeteret, pactis Matrimonii inter Filiam suam Carolinam & Principem Weilburgo-Nassoviensem ineundi, conditione addita, ut proles ex hoc Conjugio nascitura non in alia Religione, quam illa, quæ in Republica dominatur, educaretur, manu propria subscripsisset, & septem Provinciarum unitarum Mandatarios rogasset, ut pacta hæc Nuptialia rata haberent, Provinciæ, Principe paulopost satis functa, hac de Re deliberare cœperunt. At in diversas abiere sententias. Provinciæ Zelandia, Frisia, Transsalaria, & Grœninga consenserunt, satis Religioni veræ reformatæ cautum existimantes illa Clausula, liberos procreandos in nulla alia educari posse. Econtra Provinciæ, Hollandia, & Ultrajectum objecerunt; si procederent hæ Nuptiæ, cum Principe Nassoviæ-Weilburgen-

† *Relata Ratisb.*

sis

Sæculum VII  
A. C. 692.

facium Sacræ Sedis Cnosiliarium inde abstractos Constantinopolim perduci iussit.

Postea Zachariam Protospatarium suum, id est, Prætorianorum Præfectum, Romam misit cum mandatis, Papam quoque capiendi. Sed milites urbis Ravenatis, Ducatus Pentapolis & vicinarum Regionum hanc vim Pontifici inferendam prohibuerunt; cumque Zacharias tot milites undique Romam convolare  
vide.

sis Religionem Confessionistarum profiteretur, si aliquando conscientia suæ repugnare crederet, permittere, ut proles sua in alia Religione quam Lutherana institueretur, posse contingere, ut aliquis Gubernator Hæreditarius alterius Religionis, quam illius, quæ in Provinciis fœderatis præcipua est, existeret. Jam vero admiratione & quæstioni locus est, cur Provinciæ unitæ Principem habere reformident Religione Lutherana, idque Religioni veræ, ut ajunt, reformatæ Hollandiæ nociturum timeant, cum tamen, dum singulis annis indicunt Pœnitentiæ, Jejunii & Orationis Dies, populos suos pro Conservatione omnium Ecclesiarum Protestantium in variis Orbis Partibus dispersarum orare jubeant, & eo ipso se cum illis omnibus in eadem Religionis Communionem vivere profiteantur? Nempe omnibus extra Communionem Ecclesiæ Romanæ positis in Doctrina de Ecclesiæ Unitate nulla Regula est, nihil fixum, nihil firmum; unde etiam sibi metipsis contradicant & adversentur.

videret, perterritus Papam rogabat, ut <sup>Sæculum VII</sup> portas claudi & custodiri juberet. Imo <sup>A. C. 69.</sup> omnibus artibus trepidans usque in cubiculum Papæ se penetravit, cum fletu orans, ut misereretur, & sibi vitam servaret. Interim copiæ Ravennatenses per portam S. Petri urbem intrant, usque ad Palatium Lateranense perveniunt, & quosque obvios minaciter jubent, sibi Papam monstrare; nam increbuerat rumor, eum noctu fuisse abstractum; & quia foribus clausis excludebantur, militari ferocia imperant confestim aperiri ab iis qui intus erant, nisi mallent eas vi prosterni. Tunc vero Zacharias nullus dubitans, actum esse de vita sua, sub lectulum Papæ irrepsit, adeo timore mortis obrutus, ut mentis impos esset. Papa consternatum bene sperare, & metum discutere jubet, moxque extra Basilicam Theodori Papæ progreditur, & portis aperiri jussis, in Sede, quam *sub Apostolis* nominabant, acquiescit, ut conspiceretur ab omnibus. Ibi populum, militesque tumultuantes, qui ad se videndum confluerant, lenibus verbis demulsi. Recedere tamen, & stationes circum ædes Lateranenses deserere noluerunt, donec Zacharias Protospatarius ex urbe Roma probrose ejectus fuisset.

Sæculum VII  
A. C. 694.

§. LV.

*Justinianus pellitur. Leontius  
Imperator.*

Sub idem tempus Justinianus Imperator, qui Protospatarium Romam miserat, ex urbe Constantinopolitana migrare jussus est. (\*) Is odium suorum incurrerat, quod in vitam cum Bulgaris & Musulmannis pacem imprudens violasset. Præterea Procerum præcipuos, quorum opera utebatur, atque inter ceteros Stephanum Eunucho Persam ærario arcano præfectum, & Theodorum, quem, antea Monachum Solitarium, Logothetam constituerat, id est, ærario publico præfecerat, crudelitatis nota infames reddebat.

*S. Niceph.  
hist. p. 25.*

*Theoph. an.  
9. p. 306.*

*S. Niceph.  
Chr.*

Paulus Patriarcha, postquam Sedem tenuisset annis septem, vita functus, Successorem habuit Callinicum, Presbyterum, & Thesauro Ecclesiæ in Blachernis præfectum, qui annis duodecim sedit. Cum aliquando Imperator novas ædes extructurus hunc Patriarcham rogasset, ut

(\*) Miserum Imperatorem, de Definitione Fidei, ad se nihil spectante, sollicitum, cum de conservando Regno esse debuisset!

ut publicas preces indiceret, ad demo-  
 liendum Ecclesiam S. Virginis prope Pa-  
 latium Cæsareum positam, respondit:

*Habemus præscriptas preces recitandas,*  
*quando Ecclesia fundatur, nunquam vero*  
*vidi aliquas formulas dicendas, quando*  
*destruitur.* Nihilomius, Imperatore ve-  
 hementer instante, Patriarcha dixit:  
*Laudetur Deus, qui omnia tolerat, nunc*  
*& semper & in Sæcula Sæculorum, A-*  
*men!* Illico dejecti Ecclesiæ muri, ut æ-  
 dibus extruendis locus daretur; Ecclesia  
 vero in alio loco ædificata est.

Haud multo post tempore Justinia-  
 nus mandavit Stephano Patricio & Civi-  
 tatis Constantinopolitanæ Præfecto, ut  
 noctu populum Constantinopolitanum  
 necaret, & cædis initium a Patriarcha  
 faceret. Sed ecce! ea nocte Leontius  
 Patricius, Constantinopoli abiturus, in  
 portu opportunum navigationi ventum  
 præstolabatur. Is, in Oriente re bello  
 præclare gesta, in carcere deinde trien-  
 nio detentus, jam Dux Græciæ factus,  
 & ipso die urbe avehi jussus erat. Ergo  
 e portu soluturus valedicebat amicis,  
 quos inter numerabantur Paulus Mo-  
 nachus Astronomiæ peritus, &  
 Gregorius Cappadox Claustris Floriani  
 Abbas. Hi sæpius ad eum in carcere  
 invi-

Sæculum VII.

A. C. 694.

Theoph. p.

307.

Nic. hist. p. 25

invi-

Sæculum VII invisentes Imperium ipsi vaticinati fue-  
A. C. 694. rant; jamque dicente ad eos Leontio:

*Ecce, Imperium misero homini promissis, & mortem singulis horis expectanti, nam quamprimum auctus hinc fuero, perniciem meam adfuturam credo. Responderunt: Gnaviter rem aggredere, jam nunc implendam. Crede verbis nostris, & sequere.* Mox ad carcerem properant, & Imperatorem venire simulant, educunt multos viros fortes, quos cum Leontius armis instruxisset, & junxisset militibus suis, in forum procedens, vociferabatur: *Quicumque Christiani nomen gerunt, in Æde S. Sophia præsto sint!* Eandem rem suis per diversas Urbis Regiones proclamare iussit. Turbata multitudo confestim ad lavacrum Magnæ Ecclesiæ coivit. Tum Leontius, cum duobus suis Monachis, & præcipui Clientes ejus ad Patriarcham se conferunt, mandatis, quæ Stephanus Patricius acceperat, utique perterritum, & compellunt, ut ad Baptisterium procedens clamaret: *Hæc dies, quam fecit Dominus!* populis sublato clamore vociferantibus: *Refodiantur ossa Justiniani!* quasi vero jam e luce abiisset. Tunc quidem omnes ad Circum discurrunt, & prima luce producit Justinianus, clamante

*Psal. 117.*

mante populo, necandum esse. At Leon-  
 tius, ei vitam servaturus, amicitia<sup>Sæculum VII</sup> me-  
 mor, quæ sibi cum Constantino ipsius A. C. 694.  
 Parente intercesserat, naso truncatum  
 Cherſonam relegavit, postquam regnas-  
 set annis decem. Hæc anno 694. gesta,  
 statimque Leontius Imperator procla-  
 matus.

## §. XVI.

*Concilium Toletanum XVI.*

In Hispania interim duo Concilia deci-  
 mum sextum & decimum septimum To-  
 leti celebrata. Primum sexto anno Egi-  
 cæ Regis, Æra 731. id est, anno 693. se-  
 cundo die Maji habitum est. Episcopi  
 quinquaginta novem, Abbates quinque,  
 & absentium Episcoporum Legati tres,  
 adfuere. Rex quoque cum sexdecim  
 Comitibus interfuit. In eo decem Ca-  
 nones ad Disciplinam spectantes condi-  
 ti, & in primo decernitur, ut Judæi, si se  
 sincera mente converterint ad Fidem Ca-  
 tholicam, ab omni exactione, quam Fis-  
 co persolvere consuevissent, exempti  
 sint. Præterea Leges superiorum tem-  
 porum confirmantur contra illos, quo-  
 rum duritia proteri non posset. Omnia  
 veteris Idololatriæ vestigia damnantur.  
 Nemo lapides, fontes, aut arbo-  
 res

to. 6. Conc.  
 p. 1327.

c. 2.

Sæculum VII res veneretur. Nemo Augures au-  
A. C. 694. scultet, aut Præstigiatoribus aures det.  
 Ut hæc scandala tollantur, Episcopi,  
 Presbyteri, aut Judices curare jubentur.

l. 3. Qui contra naturam peccant, in perpetuum a Christianis separentur, centenis verberibus cædantur, turpiter decalventur, & exilio mancipentur perpetuo. Hi sicut & Idololatræ non nisi in mortis articulo, & peracta digna poenitentia Communionem accipiant. Qui se ipsum suadente desperatione enecare voluerit, ad duos menses Communionem privetur.

p. 1329.

c. 5. Aliquæ in Hispania Ecclesiæ erant derelictæ, quod propter inopiam Sacerdos ali non posset. Raro in iis Sacrificium offerebatur, & ruinam minabantur. Hinc cavillantes Judæi dicebant, nihil profuisse Christianis, quod Synagogas destruxissent, cum jam eorum Ecclesiæ sorderent. Huic malo remedium afferre Episcopi jubentur, & tertiam partem reddituum Ecclesiarum ruralium, quam juxta Canones percipere poterant, ad reparandas collabentes Ecclesias impendere. Quod si dictam tertiam non percipiant, Presbyteri, qui his Parochiis serviunt, facta præsent. Superius vidimus, S. An.

Canones  
 Concilii Tolosani,

Ansbertum Archiepiscopum Rothomagensem, quæ in hoc Concilio statuuntur, accurate observasse. Porro præcipitur: Plures Ecclesiæ unius Sacerdotis curæ non committantur, sed illæ, quibus pauciores quam decem Coloni sunt, aliis conjungantur.

Sæculum VII  
A. C. 694.  
Sup. n. 35.

In quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum de pane ad usum suum præparato crustulam rotundam Sacrificio adhibere, & super Altare offerre solebant. Præcipit Concilium, ut ad hunc Sacrum usum non nisi panem integrum, candidum, ad id unice præparatum, & in parva quantitate adhibeant, ne stomachum oneret, quod solius animæ alimentum esse oportet, & facile in modico loculo asservari possit. (\*) Ex his dispicimus jam illa ætate hostias ad eum ferme modum, quo hodie solemus, præparatas fuisse.

c. 6.

v. Mabill.  
de Azymo  
c. 8.

Cum Sisbertus Archiepiscopus Tolitanus inita cum quibusdam aliis societate

c. 9.

te

(\*) Ex hoc Canone iterum contra Protestantes probatur, Evcharistiam fuisse asservatam. At in quem finem? plane nullum alium, quam ut etiam extra Sacrificium sumi posset.

Hist. Eccles. Tom. IX.

M m

Sæculum VII  
A. C. 694.

te conjurasset, Regem Egicam Regno & vita privaturus, depositus, omnibus Bonis spoliatus, & potestati Regis traditus est, qui cum ad perpetuum carcerem damnavit. Illud quoque additum, condemnatum non ante articulum mortis ad Communionem esse recipiendum, nisi Rex gratiam faceret. Sisberto deposito Patres Felicem Hispalensem in Episcopum Toletanum ordinarunt. Tumque ad Sedem Hispalensem Faustinus Braccarenensis translatus, & ad Braccarensem Felix Portucalensis subrogatus est, qui omnes, cum Concilio subscriberent, novos Cathedralium suarum titulos assumpserunt.

c. 12.

Itaque in Hispania Episcopi ab una Sede ad aliam amoto omni scrupulo transferebantur. Conjicere est, dictam conjugationem causam fuisse, quod Patres veteres Canones confirmaverint, quibus proli Regiæ defunctis Regibus præsidium & Tutela promittitur, poenæ in rebelles statuuntur. Præterea etiam Anathematisimos in quarto Concilio Toletano pronunciatos repetunt. In hoc Concilio item præcipitur, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Parochiis ruralibus, singulis diebus, præterquam in Parasceve, pro Rege & liberis ejus Missa celebretur.

c. 8.

c. 10.

*Sup. Lib.*  
*XXXVII.*  
*§. 49.*

bretur. Item præcipitur, ut quoties aliquod Concilium fuerit celebratum, quilibet Episcopus illud intra semestre in Synodo sua, ad quam Abbates, Presbyteri & omnes Clerici cum populo Civitatis Episcopalis convocentur, promulget.

Sæculum VII  
A. C. 604

c. 8.

Cum Episcopi Provinciæ Narbonensis, peste in illa Regione grassante ad Concilium venire non potuissent, præcepit Rex, ut Narbonæ congregarentur, & ibi Concilii hujus Decretis subscriberent.

c. 13.

§. LVII.

*Concilium Toletanum ultimum.*

Anno sequente, Egicæ Regis septimo, *to. 6. Conc.*

Æra 732. id est, anno 694. nono Novembris, Concilium Toletanum decimum septimum in Ecclesia S. Leocadiæ celebratum. In eo octo Canones conditi. Primo præcipitur, ut in initio cujuslibet Concilii Patres triduo jejurent, quo temporis spatio de Fide, de correctione Episcoporum, & aliis rebus spiritualibus, nemine sæcularium hominum præsentibus, agant. Ab initio Quadragesimæ usque ad Cœnam Domini ostia Baptistæ claudantur, Episcopi annulo signentur, & sine maxima necessitate non referentur. Dicitur, quod in Cœna Domini

p. 1361.

c. 1.

c. 2.

M m 2 mini

Sæculum VII mini Altaria fuerint denudata, quem  
A. C. 694. morem hodieque servamus. Eadem die

Conc. XVI. quilibet Episcopus Mandatum Domini  
c. 8. observet. Denuo præcipitur, ne Pres-

Conc. XVII. byteri ad usum suum privatum adhi-  
c. 3. beant Vasa Sacra, vel Ornamenta Eccle-  
c. 4. siæ, ne ea vendant, aut distrahant.

c. 5. Aliqui Missas defunctorum celebra-  
bant pro vivis, eo consilio, ut iis mortis  
causa essent. Prohibent Patres tantum

c. 6. Sacrilegium. Presbyter deponi & per-  
petuo carceri mancipari jubetur, atque  
tam ipse, quam ille, qui eum ad nefas per-  
petrandum impulerit, usque ad tempus  
mortis suæ sint excommunicati. Lita-  
niæ seu preces publice quolibet mense  
decernuntur.

Judæi in Hispania convicti, quod in  
patriam & Christianos conjurassent, &  
cum aliis suæ gentis ultra mare positis  
(forte in Africa) fœdera pepigissent, om-  
nibus rebus suis spolientur, in servitu-  
tem perpetuam redigantur, & Christianis  
juxta Regis voluntatem dividantur. Ad-  
ditur etiam, nullum iis a Dominis suis  
Exercitium Cæremoniarum suarum esse  
concedendum, liberos, ubi ad septimum  
annum pervenissent, ipsis eripiendos esse,  
Christianorum Sacris instituendos, &  
cum Christianis conjugio copulandos.

Utri-

Ultimum hoc est Toletanum Conci- <sup>Sæculum VII</sup>  
 lium, cujus Acta nobis supersint, nec ad- <sup>A.C. 695.</sup>  
 sunt subscriptiones, unde dispicere posse-  
 mus, qui Episcopi interfuerint. Jamque  
 intervallo annorum circiter centum  
 quinquaginta rarissima Ecclesiæ Hispano-  
 rum monumenta occurrent.

## §. LVIII.

*Leontius pellitur. Apfimarus Impe-  
 rator.*

Jam etiam de Africa raro nobis erit ser- <sup>Theoph. an.</sup>  
 mo; hoc enim tempore in potestatem <sup>3. p. 309.</sup>  
 Musulmannorum redacta est. Cartha-  
 gine capta, Imperator anno Regni sui se-  
 cundo, ab Incarnatione Domini 695.  
 Joannem illo misit, præclarum bello vi-  
 rum, qui Musulmannos omnibus, quas  
 occupaverant, urbibus expulit. Verum  
 illi anno sequente collectis majoribus vi-  
 ribus reversi, & Carthagine aliisque Ci-  
 vitatibus ad deditionem iterum com-  
 pulsus, Romanorum imperio in Africa fi-  
 nem fecerunt, postquam in illa Orbis  
 Parte ab anno Romæ conditæ sexcente-  
 simo octavo, quo Carthago a Scipione  
 capta est, per annos octingentos & quin-  
 quaginta dominati fuissent. Post hanc  
 cladem Christianis illatam Musulmanni  
 Africam in hunc usque diem tenuerunt.

M m 3

Ac

Sæculum VII At vero pudorem non ferentes Romani  
 A. C. 696. milites, cum ad Leontium redire non  
 auderent, alium, nempe Apſimarum,  
 quem cognominarunt Tiberium, Impe-  
 ratorem proclamarunt, qui Constantino-  
 polim perveniens, & porta sibi a consciis  
 prodita ingressus, Leontium comprehen-  
 di jussu præcis naribus in Monaste-  
 rium S. Dalmatii relegavit. Hæc anno  
 696. Regni ejus tertio contigerunt.  
 Apſimarus vero annis  
 septem impe-  
 ravit.

